

1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

DE BELLI DAEMONIBUS

QUI IN CARMINIBUS GRAECORUM ET ROMANORUM INVENIUNTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS RICARDUS BERGE

COESLINIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS O. BRANDSTETTERI

MDCCCLXXXXV

FRIDERICO GÜNDEL

AMICO FIDELISSIMO

SACRUM.

Malorum affectuum rabiem in animis hominum excitatam daemonum specie induentes poëtae, quatenus vulgi opiniones secuti sint, quatenus ipsorum indoli atque naturae indulserint, quomodo inter se cohaereant, quomodo differant, anquirere ideo operae pretium esse duxi, quod nonnihil luminis redundare videbatur et ad veterum superstitiones dispiciendas et cognoscenda poëtarum ingenia. Atque belli daemones tractandos mihi proposui, quod eos inprimis poëtae inde ab Homeri temporibus usque ad seram aetatem in scaenam producebant variisque coloribus exstruebant.

Enyo.[1]

Inter ea numina, quae inde ab antiquissimis temporibus ut Martis satellites a poetis ficta sunt, haud exiguae partes deae sunt, quam vocant *Ἐνυώ*. Cuius natura quae sit ac propria vis, si enucleare operam navabimus, nil fere evincemus nisi poetarum locis explanandis et quam fieri potest subtiliter perquirendis, quoniam aliorum testimoniorum paucis tantum fati iniquitas pepercit. Et antiquissima quidem testimonia aetatis sunt etiamnunc spissa caligine offusae; exstant in Homeri Iliadis libro V, vv. 333 et 592: altero loco de Diomede sermo fit:[2])

ὁ δὲ Κύπριν ἐπῴχετο νηλέι χαλκῷ,
γινώσκων ὅ τ' ἄναλκις ἔην θεὸς οὐδὲ θεάων
τάων, αἵ τ' ἀνδρῶν πόλεμον κάτα κοιρανέουσιν,
οὔτ' ἄρ' Ἀθηναίη οὔτε πτολίπορθος Ἐνυώ,

altero autem de Troianorum turba in pugnam ruente:

ἦρχε δ' ἄρα σφιν Ἄρης καὶ πότνι' Ἐνυώ,
ἡ μὲν ἔχουσα Κυδοιμὸν ἀναιδέα δηιοτῆτος.

Diomedes Venerem persecutus cognoscit deam esse imbecillam quandam neque earum, quae pugnam administrent, nec Minervam neque Enyo; atque exercitui Mars praeest et Enyo cum numine quodam coniuncta, cui nomen est *Κυδοιμός*. Etsi fatendum est imaginem Enyus pallido tinctam colore apparere, tamen ex iis locis facile concludi licet Enyo in Graecorum superstitione haud parvas egisse partes et e caterva Martem comitantium perquam eminere; eodem enim est cum Minerva loco in v. 332, ubi disertis verbis dicuntur deae, quarum pugnam regere munus est, Minerva et Enyo *πτολίπορθος*; et ex altero loco elucet eam etiam Marti fere parem fuisse dignitate, nam nequaquam Martis comes fingitur, immo ipsi

---

[1]) v. Roscher: Lex. s. v. *Ἐνυώ* (Stoll). Welcker: Griech. Götterl. I, p. 760. Tiesler: de Bellonae cultu et sacris, Diss. Berol. 1842, p. 16. Preller-Robert: Myth. Gr. I⁴, p. 238.

[2]) Koechly, qui vv. 330—333 ut repugnantes cum v. 131 sq. et 820 sq. eiecit, iure refutatus est a Benicken: Das 5. Lied vom Zorn des Achilles p. 36, cf. Düntzer: Homer. Abh. p. 54. Holm: ad Lachm. exempl. d. Iliade p. 3.

comes additur, *Κυδοιμός, ἀναιδὴς δηιοτῆτος,*[1]) quod fieri non potuisse persuasum habeo, si ipsa ducta esset Martis dicioni subiecta. Ergo eam hisce locis eundem fere obtinere ordinem ac Martem et Minervam, summa belli numina, in propatulo est. Et hoc quidem eo magis premendum, quoniam tali de vi Enyus sententiae illud repugnare videtur, quod aliorum librorum nullo loco eius mentio fit, ne deorum pugnae quidem interfuisse dicitur, quod scholiasta quidam[2]) iam miratur: *εἰ δ' ἦν θεός, ποῦ ἦν ἐν θεομαχίᾳ;* At deliberantibus nobis, quomodo dissensio optime solvatur, non nihil redundabit luminis, si totam Iliadis partem, qua continetur uterque locus, contuebimur.

Vel obiter perlustrantibus non fortis temeritati tribuere licet, quod insunt uni eidemque particulae, quam vocant *Διομήδους ἀριστείαν.* Agedum videamus, quid praeterea in hac parte a ceterarum de dis sententia recedat! Nec cassa opera; iam pridem enim viri docti[3]) in multa inciderunt, quae singulariter dicta sunt atque cogitata; equidem, ne in re satis quantum vidi comprobata multus sim, gravissima tantummodo extremis digitis perstringere satis habeo. Superstitioni haec sunt peculiaria: Venus, cuius sescenties in Homeri carminibus mentio habetur, nusquam *Κύπρις* dicta est, nisi in libro V, et hoc quidem tribus locis, vv. 330, 458, 883. Mater eius hoc tantum carmine Dione putatur (v. 370), cum aliis locis Iunonis filia nominetur neque usquam Dione commemoretur. Porro deorum medicum Paieonem a ceteris Homeri carminibus alienum[4]) invenimus in hoc libello eumque bis (vv. 308 et 899), Herculem Amphitryonis filium legimus v. 392.[5]) Huc accedunt permulta, quae ad linguam[6]) spectant; non modo *ἅπαξ εἰρημένων* et numerus et vis conspicitur, sed etiam verborum haud paucorum notio a ceterorum carminum consuetudine sermonis abhorret; neque omittenda sunt compluria, quae ad res metricas vel grammaticas[7]) pertinent. Multa autemi quod gravissimum est, totius narrationis conexui repugnant, quae s, fusius exponerem, notissima recoquerem.[8]) Ergo dubitari nequit,

---

[1]) Sic intelligi *ἔχουσα Κυδοιμόν* docet et sensus et consuetudo vocis *ἔχειν;* aliud senserunt grammatici, de quo v. schol. ad *Λ* 3.

[2]) schol. Townl. ad *E* 333; sane peripateticum resipit.

[3]) inprimis Lachmann: Betracht. z. Ilias p. 20 cum Hauptii additam. p. 106 sq. Benicken: das 5. Lied vom Zorn, p. 1. v. Hentze: assecl. ad edit. p. 54 sq. Erhardt: Entstehung d. homer. Ged., p. 66 sq.

[4]) Od. *δ* 232, ubi medici *Παιήονος γενέθλη* dicuntur; certe recentioris aevi est, v. Kirchhoff II 2 1512.

[5]) Et Od. *λ* 270 = II 9 4285 Kirchh., ubi de eodem verba fiunt, serae aetati tribuendum.

[6]) v. Geist: disquisit. Hom. p. 10. Benicken l. l. p. 6.

[7]) v. Benicken l. l. p. 8 sq.

[8]) velut Pylaimenes v. 576 occisus, *N* 658 vivus, Amphios *B* 830 filius Meropis, idem *E* 612 filius Selagi, utroque loco dux Paesiensium.

quin *Διομήδους ἀριστεία,* licet ex parte genuinum Iliadis carmen fuerit, originem duxerit a poeta quodam, qui praecipue in deorum natura et moribus describendis[1]) a ceterorum sententia multum recedit. Quae inter librum V et reliquam Iliadis partem discrimina aut aetatis esse aut regionis in aprico est; num aevo tribuenda sint disceptari vix potest, quoniam nec linguae nec superstitionis proprium quicquam recentiorem spirare aetatem confirmari licet. At mihi quidem vestigia non nulla delitescere videntur in libro V, quibus commoveor, ut in regione quadam a ceterorum diversa eum ortum esse rear;[2]) quam si enucleare poterimus, nonnihil Enyus deae cultui destinando lucrabimur. Atque iam supra dictum est Venerem nusquam nisi in hoc libro *Κύπριν* vocatam esse idque compluries; praeterea Cyprus insula saepenumero commemorata nullo loco Veneri consecrata dicitur uno excepto,[3]) qui poemate illo de Martis et Veneris amore certissime sero admodum inserto continetur. Deinde Dione hoc tantum carmine Veneris mater dicta a poetis disertis verbis Cypriae Veneris mater vocatur.[4]) Porro versus 387 in hunc modum respiciendus est: Dione, ut filiam consoletur, nonnulla enarrat, quibus dei immortales ab hominibus vexati sint, velut Martem quondam ab Oto et Ephialte captum in dolio aeneo quasi carceribus vinctum esse: *χαλκέῳ δ' ἐν κεράμῳ δέδετο.* Quae verba a scholiasta quodam[5]) sic explicantur: *κεράμῳ· ἀγγείῳ πίθῳ ἢ δεσμωτηρίῳ· οἱ γὰρ Κύπριοι τὸ δεσμωτήριον κέραμον καλοῦσιν,* et ab Eustathio[6]) *ἤγουν ἀγγείῳ, οἷον πίθῳ· ἄλλοι δέ φασι δεσμωτηρίῳ στερρῷ λέγοντες Κυπρίους κέραμον καλεῖν τὸ δεσμωτήριον.* Docemur igitur vocis *κέραμος* eam notionem, quae una ad huius loci sententiam quadrat, Cypriorum sermonis propriam fuisse; scholiastam autem non temere interpretatum esse eo optime comprobatur, quod Cypri talium doliorum haud parvus numerus inventus est[7]) dimidia parte in solum fossorum, quibus carceribus eos usos esse verisimile est. — Praeterea vox *χραύω* i. e. tangere vel stringere in v. 138 hoc uno loco et Quinti Sm. l. XI v. 76 imitatoris Homeri usurpatur: tertium inveni locum Cypri inscriptiones perlustrans, quarum in una[8]) bis dicuntur regiones se attingentes: *χρανόμεναι.*

---

[1]) v. Hentze: assecl. p. 65. Erhardt: Entstehung d. hom. Ged., p. 66 sq.

[2]) Nonnulla apud Erhardt. l. l., sed non plena.

[3]) Od. ϑ 362.

[4]) Eurip. Hel. 1098: *κούρη Διώνης, Κύπρι, μή μ' ἐξεργάσῃ* Theocr. XVII_{36}: *Κύπριν ἔχοισα Διώνας πότνια κούρα.* Alios poetarum locos indagare non potui. Praeterea Cypri urbs fuit „Dionia" v. Steph. Byz. s. v.

[5]) schol. D; addas Apollon. Soph. s. v. *κέραμος*, Etym. Magn.

[6]) p. 560 2.

[7]) v. Jahn: Ber. d. sächs. G. d. W., 1854, p. 41. Ross: Inselreisen, t. IV, p. 169.

[8]) Meister: Griech. Dial. II, p. 154, n. 60, lin. 9, 19.

Quibus ex indiciis aliquid evinci posse puto neque quemquam mecum rixaturum spero, cum suspicer Diomedis *ἀριστείαν* compositam esse a quodam Cypriorum et sermone et superstitione dumtaxat imbuto, quocum id optime congruere videtur, quod Diomedem ipsum Cypri inprimis cultum et adoratum eique homines pro victimis immolatos esse scimus.[1])

Quando quidem igitur eas de deis deabusque sententias, quae cum vulgari opinione discrepant, Cypri exstitisse temporibus, quibus carmen illud compositum sit, verisimillimum est, Enyo deam belli illustrem Cypri cultam esse licet conicere. Sic omnes optime solvuntur difficultates neque cuiquam mirum videatur eam in Homeri carminibus nusquam alibi locum habuisse, cum saepissime occasio data esset.

Attamen frequenter Martis cognomen *Ἐνυάλιος*, cui aliquem conexum cum dea inesse per se in aperto est, usurpatur; itaque, quomodo inter se cohaereant *Ἐνυώ* et *Ἐνυάλιος*, paulo fusius disquirendum est, praesertim cum fortasse ansas det talis disputatio ad enucleandam propriam deae notionem et vim.

Atque tres cogitari possunt rationes: Aut Martis cognomen a dea mutuati sunt aut deae nomen a Martis, aut ambo nomina seorsus orta sunt. Funditus autem reicienda est opinio deam a Martis cognomine nomen accepisse, quippe cui forma nominum prorsus refragetur. Et viri docti, quantum vidi omnes, haud scio an prave senserint, cum Martis cognomen a dea originem duxisse suspicarentur; haec enim habeo, quae opponam: Nunquam, nisi omnia me fallunt, ullum dei cognomen ab alio numine sumptum est, nisi propinquitatis vinculo inter se coniuncta fuerunt. Itaque *Ἐνυάλιος* idem valere atque inflammatus vel incensus ab Enyo dea[2]) nullus potest, neque filium Enyus dicere Enyalium fas erat, quoniam exitus vocis a consuetudine abhorret; exeunt enim eiusmodi nomina in — *ίδης* vel — *γενής*, velut Apollo Letus filius nominatur *Λητογενής* et *Λητοίδης*. Ergo Martis cognomen nulla intercedente ratione cum dea ortum est, quae coniectura certis indiciis fulcitur: accuratius enim inquirenti mirum videatur non tam nullo loco, quo Enyalii mentio fiat, Enyo esse commemoratam — quod quidem, si ambo artioribus vinculis coniuncti fuissent, fieri vix potuisset — quam illud potissimum, quod poetae, qui noverit Enyalium, ignota fuerit Enyo. Quod in Iliade forsitan casu quodam factum sit — Diomedis *ἀριστεία* Enyalio caret, cetera carmina Enyo —, tamen argumentum haud parvum eliciendum est e libello, qui inscribitur *Ἀσπὶς Ἡρακλέους*. Nam

---

[1]) Porphyr. de abstin. II 54: *ἐν δὲ τῇ νῦν Σαλαμῖνι . . . . . ἐθύετο ἄνθρωπος τῇ Ἀγραύλῳ . . . καὶ διέμενε τὸ ἔθος ἄχρι τῶν Διομήδους χρόνων· εἶτα μετέβαλεν, ὥστε τῷ Διομήδει τὸν ἄνθρωπον θύεσθαι κ. τ. λ.*

[2]) Welcker l. l., v. Roscher: lex. s. v. Enyalios.

quod hoc carmine poeta, cum in scuto imagines numinum *Δεῖμος, Φόβος, Ἔρις* expressas fingeret nec non *Κυδοιμόν*, quem *Διομήδους ἀριστείας* auctor Enyus comitem dixerat, atque cum in pugna enarranda *Δεῖμον* et *Φόβον* Marti subsidio accurrentes faceret, Enyo non commemoravit ut excellentem inter omnes Martis comites, hac in re argumentum ex silentio quidem, ut aiunt, captum inesse arbitror poetam Enyo omnino non novisse.[1]) Etiam hac igitur ratione sententia mea de diversa Enyalii et Enyus origine comprobatur.

Attamen utrumque nomen ab eadem, ut ita dicam, stirpe exortum esse facile eo liquet, quod litteram *υ* et vocis *Ἐνυώ* et *Ἐνυάλιος* producte dicunt ad unum omnes, cum aliud verbum ab *ενῡ* profectum noverimus nullum. Itaque, quae fuerit notio communi stirpi, enucleare operam dantibus paulo uberius anquirendum est de Enyalio, quomodo usurpatus sit.

Duplex patet ratio, qua Martem Enyalium dictum putemus: aut Enyalius ipse fuit belli deus quidam, socordia recentioris aevi cum Marte confusus, aut Martis quoddam proprium hoc cognomine significatur. Atque Enyalium a Marte diversum unquam exstitisse equidem omnino nego, etsi nonnulla praesto sunt testimonia, quibus distinctio comprobari videtur. At iam in Homeri Iliade tam definitus apparet usus vocis *Ἐνυάλιος,* ut uno tantum loco[2]) Martis nomini addita sit, ceteris ubique pro Marte posita;[3]) maximi autem momenti est *Σ* v. 309, ubi metonymice dictum est: *ξυνὸς Ἐνυάλιος καί τε κτανέοντα κατέκτα.* Talis igitur est vocis consuetudo, ut poetam ne minimum quidem sensisse discrimen inter Martem et Enyalium satis liqueat.

Sed tribus locis primo obtutu inter se diversi videntur, quorum duos[4]) olim emendatos mittamus; uno tertio disiunctos statuerunt etiam ii viri docti,[5]) qui novissime hac de re egerunt. Agedum evolvamus Aristophanem, Pac. v. 457: Trygaeus choro iubente haec profert:

ἰὴ ἰὴ τοίνυν μόνον λέγω
Ἑρμῇ Χάρισιν Ὥραισιν Ἀφροδίτῃ Πόθῳ.
Chorus: *Ἄρει δὲ μή.* Tr.: *μή.*
Ch.: *μηδ' Ἐνυαλίῳ γε.* Tr.: *μή.*

Equidem ne huic quidem loco ullam vim inesse persuasum habeo, quippe qui verti possit: noli adorare Martem neve Enyalium i. e. Martem Enyalium. Immo ridiculum aliquid et poeta comico haud indignum Aristophani restitui puto, cum unum eundemque fuisse

---

1) Etiam Hesiodus non affert Enyalium, verum Enyo, scilicet Graeam.
2) *P* 211.
3) *Υ* 69, *Ν* 519, *Β* 651, *Χ* 132.
4) Poll. VIII 106 in epheborum iureiurando v. Preller-Rob. I, p. 338, adn. 1, cf. Lobeck: ad Soph. Ai. 179.
5) Robert l. l. Sam Wide: Lakonische Kulte, p. 149.

Martem et Enyalium hoc ipso loco statuamus: cum enim spectatoribus tritissima esset Martis cum Enyalio colligatio, nonne facile ad credendum est haec verba similem in modum risum movisse, ac si exempli gratia dictum esset: noli adorare Apollinem neve Phoebum?

Quo testimonio sublato mea quidem sententia nemo infitias ire potest nulla exstare indicia Enyalium unquam a Marte alienum fuisse.[1]) Ergo, quantum coniectura augurari licet, nihil est Enyalius nisi vetustum Martis cognomen, quo aliquid eius proprium premitur. Atque indagantes, qua occasione Mars nomine Enyalii praecipue cultus sit, invenimus proelium inchoantes ad Martem Enyalium clamorem attollere solere, quod vocabant sollemni usu: *τῷ Ἐνυαλίῳ ἀλαλάζειν*. Cuius moris testes sunt Xenophon Anab. I 8, 8, V 2, 4, Cyrop. VII 1, 26, Hell. II 4, 7, Heliodorus IV, 7, Arrianus Anab. I 14, 40, Ind. 24, 7.[2]) Siquidem haec consuetudo priscam spirare aetatem videtur, a vero me non multum aberrare persuasum habeo, cum Enyalium id Martis cognomen fuisse opiner, quo proelii clamor vel pugnantium strepitus exprimeretur, praesertim cum videamus *τὸ ἐνυάλιον* aut *ὁ ἐνυάλιος* interdum[3]) plane idem valere ac clamorem pugnae; neque ambigi potest[4]) eandem notionem voci *Ἐνυώ* subesse.

Ergo aliae Graecorum gentes, ut clamorem belli numinis specie induerent, Martem Enyalium, aliae deam Enyo sibi finxerunt. Atque haec opinio de notione Enyus prolata optime eo fulcitur, quod apud Homerum ipse *Κυδοιμός*, strepitus et tumultus *προσωποποιΐα*, comes ei additus est.

Forsitan quispiam dixerit Enyo nihil esse, nisi vetustum alicuius deae cognomen progredientibus temporibus disiunctum ipsumque numinis auctoritate praeditum, velut Erinys ex Cerere, Gorgo fortasse ex Minerva originem duxerit. Ergo circumspiciamus, num quae indicia exstent, quibus haec sententia probetur. In Tzetzis scholiis ad Lycophronis carmina bis (ad v. 463 et 519) legimus: *Ἐνυὼ ἐπίθετον τῆς Ἥρας*. Quibus locis delitescere verae doctrinae vestigium vix quisquam credat; immo aut sciebat scholiasta Enyo saepe Martis matrem dictam esse, itaque eandem esse coniciebat ac Iuno-

---

[1]) Quod schol. Il. *P* 211, ad Arist. Pac. 437, Hesych. s. v. *Ἐνυάλιος* (cf. Lehrs: Arist. p. 179) de Atticis tradunt, cum delibatum pateat ex Sophoclis Aristophanisque locis male perceptis ne flocci quidem faciam.

[2]) v. schol. Thukyd. I 50 et IV 43.

[3]) Poll. I, 63, Heliod. IV, 17.

[4]) Nihil refert, quod de etymologia vocis traditum est: Eustath. ad Il. *E* 77: *ἀπὸ τοῦ ἐναύειν γίνεται κατ' Ἀπολλόδωρον, ὅ ἐστιν ἐμφωνεῖν ἤ, ὡς Ἡρακλέων φησίν, ἀπὸ τοῦ ἕνω τὸ φονεύω, ὅθεν καὶ αὐτοέντης ὁ αὐτοφόντης.* v. Etym. M. *ἢ παρὰ τὸ ἐναύειν, . . ἢ παρὰ τὸ ἴω, ἀπὸ τοῦ ἐνίειν τοῖς πολεμουμένοις τὴν μάχην.* . Cornut. c. 21: *Ἐνυὼ γάρ ἐστιν ἡ ἐνιεῖσα θυμὸν καὶ ἀλκὴν τοῖς μαχομένοις. ἢ κατ' εὐφημισμὸν ἀπὸ τοῦ ἥκιστα ἐνηὴς καὶ ἐπιεικὴς εἶναι.* G. Hermann: op. II, 80 originem duxit a verbo *ὕειν*, refutatus a Lobeck: Rhem. p. 325 et 121. Welcker *ἔνοσις* voci inesse putat.

nem, quam vulgo eius matrem existimabant aut — quod mihi veri videtur similius — perversa vocis explicatione in hunc errorem incidit, cum interpretaretur: *Ἐνυὼ ἡ πάντα ἀνύουσα καὶ τρέφουσα καὶ τελειοῦσα· ἡ αὐτὴ γάρ ἐστι τῷ συμμιγεῖ καὶ εὐκράτῳ ἀέρι.* Siquidem notissima erat stoicorum de Iunone sententia, qua aërem significari credebant, facile ex origine vocis *Ἐνυώ* prave enucleata deam eandem esse ac Iunonem concludi poterat. Ergo hoc testimonio plane nil efficitur. De alio quodam numine cogitavit Tümpel,[1]) cuius in sententiam uberius inquirere vel aliis de causis opus est: Odofredus Müller[2]) enim ex Suidae loco s. v. *Ὁμολώιος Ζεύς* elicuit Enyo Homoloidem, cuius sacerdos cultum Iovis Homoloii condiderit. Quo loco nisus Tümpel, cum melius ei quadraret *Ἐρινὺς Ὁμολωίς* ad fulciendas coniecturas de Martis cum Erinye colligatione, demonstrare conatus est Enyo deam eandem esse atque Erinyn. At ut taceam de illius hariolationibus (*ἐ-ρι-νύς* i. e. *ἐ-νυ-ώ*, plur. *ἐρινύες* = *σεμναί* = *γραῖαι* i. e. plur. vocis *ἐνυώ*), fundamentum totius coniecturae non modo fragile, sed omnino fallax est: evolvamus locum, a quo proficiscendum erat, Suidam, qui nomen *Ὁμολώιος Ζεύς* sic explicat: *ἐπὶ τῶν ὁμονοούντων, ἀπὸ Ὁμολώας προφήτιδος τῆς Ἐνυέως, ἣν προφῆτιν εἰς Δελφοὺς πεμφθῆναι κ. τ. λ.* Quod vertens Müller: „ab Homoloa, fatidica E n y u s", Thebis Enyo publice cultam esse cum Iove, Cerere, Minerva coniunctam arbitratur. Quod recte se habere praeter Tümpelium Stoll[3]) et Tiesler[4]) putaverunt neque Welcker,[5]) etsi recte sensit illam de Enyus prophetide enarrationem fictam esse, intellexit Müllerum apertum in errorem incidisse. Luce enim clarius est illa verba vertenda esse: ab Homoloa quadam prophetide, f i l i a E n y e i; „*Ἐνυέως*", ut omnibus libris et Suidae et Photii legitur paullulum tantum inter se differentibus (*Ἐννυέως* vel *Εὐνέως*), genetivus nominis *Ἐνυεύς* est, quod non insolitum fuisse scimus.[6]) Vides igitur cum Tümpelii de Enyo sententiam tum Mülleri de cultu deae ne minimo quidem indicio fulciri.

Tertius Starck[7]) contendit Enyo ex parte videlicet eandem esse ac Minervam, cum idem versus de Marte et Enyo copiis praegredientibus esset, qui de Marte et Minerva: *ἦρχε δ' ἄρα σφιν Ἄρης καὶ πότνι' Ἐνυώ* vel *Παλλὰς Ἀθήνη*, et cum una cultae essent Athenis Enyo et Minerva in Martis templo. Quarum cau-

---

1) Ares u. Aphrodite, Jahrb. f. Philol., Suppl. 1881, p. 705.

2) Orchomenos, p. 233, ² p. 229.

3) Roscher lex. s. v. Enyo.

4) l. l. p. 18.

5) Griech. Götterl., p. 706.

6) rex Scyri *Ἐνυεύς* ab Achille interfectus est Il. I, 668. Hoc loco Enyeum Thessaliae deum fuisse Robert putat, nescio quo iure p. 238, adn. 1.

7) Ber. d. sächs. G. d. W., 1864, p. 211.

sarum neutri aliquid inesse puto, praesertim cum in ea ipsa Iliadis parte, qua de Enyo mentio fit, Minerva multo maiores agat partes quam ceteris.

Ergo nubes captasse, qui de Enyo ex alio numine orta cogitarunt, in aperto est. Perversam autem sententiam[1]) Enyo esse Anaitem deam Cappadociae vix opus est refellere; nam Strabonem,[2]) cum dixerit deam Comanensem *'Ενυώ*, respexisse Romanorum deam Bellonam, cui Graecum nomen *'Ενυώ* est, nemo non videt.[3])

Quanam a gente prima Enyo culta sit, pro certo diiudicari non potest; etenim licet recto talo stet coniectura nostra de cultu Cyprio, tamen ex hac re vix quidquam evincitur utpote sat multis Graecorum gentibus Cyprum tenentibus. Optime quadraret, si quid verum dixisset, Ammiani Marcellini,[4]) quod de Thracibus Marti et Bellonae immolantibus fert, nam Thraces inprimis Cyprum incoluisse scimus;[5]) sed puto Ammianum pro indole sua nihil premere voluisse, nisi rem notissimam, Thracum ferocem ac bellicosum animum.

Videamus igitur, ubi Enyo publice cultam esse testimoniis probetur. In titulo quodam,[6]) Erythris invento, sacerdos Enyus et Enyalii commemoratur; est tertii a. Chr. saeculi, ergo eam hoc tempore in Asia cultum habuisse comperimus. Etiam recentiore aevo Enyo e superstitione Graecorum non evanuisse titulo[7]) Athenis invento demonstratur, quo cognoscimus Hadriani temporibus exstitisse sacerdotem Enyus: Titum Coponium Maximum.

Gravissimum autem est, quod Pausania[8]) teste Praxitelis filii Cephisodotus et Timarchus statuam Enyus fecerunt Athenis in Martis templo iuxta Martis et Minervae statuas collocatam. Qua re egregie fulcitur nostra de vi Enyus sententia; tali enim honore ceterorum numinum nullum quantum scimus dignum habitum est.

Quae testimonia fortasse aliquem moveant, ut Ionum deam Enyo fuisse contendat. Sed ultra vestigiis persequendis periculum facere hominis esse duco intemperanter abutentis et otio et litteris.

Ut plene cumulateque rem perficiam, reticere nolo frustra me adiisse artis reliquias; miro sane modo factum est, quod vasorum nullum exstat, quo Enyo aut disertis verbis significetur aut certis indiciis agnosci possit: Wieseler, cum deam in vaso quodam[9]) pictam,

---

1) Schwenck: Mythol. d. griech. St., v. Tümpel l. l. p. 705.
2) XII, 535.
3) v. Tiesler l. l. p. 21.
4) XXVII, IV, 4.
5) v. praeter Engel: Kyprus p. 101: Ohnefalsch-Richter: Kyprus, d. Bibel u. Homer, p. 260. Dümmler: Mitteil. d. arch. Inst. Ath. XI, p. 209.
6) Dittenberger Syll. II, p. 370.
7) C. I. A. III, 2.
8) I 8, 5.
9) Über Eris: Nachr. d. Gött. Ges. d. W., 1885, p. 102. Millin: Peint. de vas. II, pl. XXVI, Gerhard: Lichtgottheiten, tab. III, 5.

quae Aurorae vehenti facem quatiens praegreditur, Enyus speciem prae se ferre suspicetur, in lubrico versatur; nam ne Aurora quidem ita adumbrata videtur, ut de alio numine cogitari non possit; immo alii viri docti[1]) Victoriam cum Lyssa vel Discordia agnoverunt.

Quibus expositis nihil intactum reliquisse mihi videor, quod ad superstitionem Graecorum de Enyo enucleandam spectat. Itaque porro videamus, qualem ceteri poetae Enyo sibi finxerint.

Hesiodus in Theogonia Enyo belli deam plane omisit, sed inter Phorcyos et Ketus filias enumerat *Ἐνυὼ κροκόπεπλον*,[2]) alteram Graearum. Nequaquam mirum videatur in Hesiodi patria deam Enyo prorsus diversam ab Homeri fingi potuisse; utrumque enim numen eodem, ut ita dicam, nucleo *ενῡ* utitur, fortasse nomine a substantivo *ἐννώ* accepto, atque quoniam ceterae Graeae *Πεφρηδώ* et *Δεινώ* nominatae sunt et Graeae, Gorgonum sorores, nisi omnia viros doctos fallunt, ipsae fulgetri deae fuerunt,[3]) haec omnia optime cum eo congruere videntur, quod de Enyus propria notione supra enucleavimus. Qui in hoc acquiescere satis non habet, vereor ne in dumeta correpat.

Inter epicorum fragmenta Enyo frustra quaeritur.

Cursus tendit ad Aeschylum, qui in Sept. adv. Th. v. 45 nuntium facit referentem septem illos duces appropinquare:

καὶ θιγγάνοντες χερσὶ ταυρείου φόνου
Ἄρη τ' Ἐνυὼ, καὶ φιλαίματον Φόβον
ὡρκωμότησαν ἢ πόλει κατασκαφάς
θέντες λαπάξειν ἄστυ Καδμείων βίᾳ,
ἢ γῆν θανόντες τήνδε φυράσειν φόνῳ.

Qui locus luculentus sane nobis maximi momenti est; nam poeta, cum duces immolantes fecerit per Martem et Enyo et Pavorem iurantes, testis est Enyo vetustam belli deam fuisse aut, si Homeri auctoritatem secutus sit, se veram deam agnoscere, non tenuem *προσωποποιίαν;* neque mirum esse, quod etiam Pavorem adorant, infra demonstrabitur.

Deinde larga poematum series Enyo non exhibet; primus Lycophron eius reminiscitur Alex. v. 519, ubi Idas et Lynceus dicuntur: *οἱ λεόντων τῶνδε καρτερώτεροι ἀλκὴν ἄμικτοι, τοὺς Ἄρης ἐφίλατο καὶ δῖ' Ἐνυὼ καὶ τριγέννητος θεὰ κ. τ. λ.* Inter Martem et Minervam militibus faventes eam inseruit poeta doctus et veterum carminibus satis imbutus. Altero loco v. 463 Aiax dictus est *ὁ Λήμνιος πρηστὴρ Ἐνυοῦς*: est nimirum Lycophronis proprium ac peculiare, quod studiose tritam illam metonymiam, qua pro bello nomen Martis dicere solebant, evitans deam inferioris ordinis hoc sensu subiecit;

---

1) Stephani: Compte-rendu p. St. Pétersb. p. l'a. 1862, p. 144.
2) v. 273.
3) v. Roscher s. v. Graiai.

similem in modum hic *Ἐννώ* usurpatur, quo alio loco pro *ἡμέρα Τιτώ* exhibet:[1]) dictio nimis curiosa et quasi, ut aiunt, arcessita. Callimachus hymn. II, 83 milites nominat *ζωστῆρες Ἐννοῦς;*[2]) et hoc poeta alexandrino dignum. Altero autem loco hymn. IV, 276 facere non possum, quin Meinekio adstipuler, qui una cum Schneidero librorum lectionem: *οὐδέ σ' Ἐννὼ κ. τ. λ.* in „*Ἐλευθώ*“ mutavit.[3])

Cursus deflectat ad eum, qui primus expressiorem effigiem deae ac politiorem delineavit, Quintum Smyrnaeum. Perlustremus primum speciem, deinde partes, simul fontes singularum elocutionum addentes: VIII, 286:

ὀλοὴ δ' ἀνὰ μέσσον Ἐννώ
στρωφᾶτ' ἀλγινόεντι λύθρῳ πεπαλαγμένη ὤμους
καὶ χέρας· ἐκ δέ οἱ αἰνὸς ἀπὸ μελέων ῥέεν ἱδρώς

et V. 29: *στονόεσσα δ' Ἐννώ*
αἵματι λευγαλέῳ πεπαλαγμένη ἄψεα πάντα.

et XI, 8 cum Eride coniuncta *στονόεσσα Ἐννώ*
ἄμφω ἀπὸ στομάτων ὀλοὸν πνείουσαι ὄλεθρον.

Haud inepte sanguine offusam deam pinxit deam caede cruenta gaudentem; sed licet primus, quantum sciri potest, Enyo hac specie affecerit, tamen caveas ne nimiam laudem ei tribuas; Homeri enim descriptionem notissimam daemonum, quae *Κῆρες* vocantur,

Σ 535: *εἷμα δ' ἔχ' ἀμφ' ὤμοισι δαφοινεὸν αἵματι φωτῶν κ. τ. λ.*

Quinti oculis obversatam esse nemo non videt. Neque in partibus Enyus enarrandis Homeri auctoritatem abiecit: pugnantium animos incitat medias acies pererrans:

VIII, 186: *τοὺς δ' αἰὲν ἐποτρύνεσκεν Ἐννώ*
286: *ὀλοὴ δ' ἀνὰ μέσσον Ἐννὼ στρωφᾶτ'*
XI, 8: *ἐν μέσσοισιν Ἔρις καὶ στονόεσσα Ἐννώ.*

Quod ex Homero petiit, qui *E* 518 Eridem facit *μέσσῳ ἐρχομένην καθ' ὅμιλον.* Porro e Quinto discimus, quod belli daemonum ad unum omnium commune ac peculiare est: nusquam Enyo dicitur alicuius partibus favere VIII, 286: *οὐδ' ἑτέροισιν ἄμυνεν*, II, 525: *δῆριν ἴσην ἐτάνυσε,* XI, 257: *ἑκατέρθεν ἴσην ἐτάνυσεν Ἐννὼ ὑσμίνην.* Cuius rei causa facile perspicitur; non enim pugnantes curae sunt

---

[1]) v. Haupt: opusc. II, 69. Reichenberger: Entwickelung d. meton. Gebrauchs v. Götternamen, 1891, p. 16.

[2]) Etsi Schneider exemplis fulcit miram elocutionem, cum Meinekio legere velim: *δρηστῆρες* collato loco ex Colluthi r. H. 142.

[3]) Locus Thucydideus, quem ante oculos poetae obversatum esse demonstrant, mihi persuasit.

belli daemonibus, sed caedes sola; hanc igitur augere student vel proelium ambiguum restituere, ut quam diutissime strage delectentur. Et hoc iam Homeri est, Eris *Δ* 443

καὶ τότε νεῖκος ὁμοίιον ἔμβαλε,

praeterea conferas sis *N* 358, ubi Iuppiter et Neptunus:

ἔριδος κρατερῆς καὶ ὁμοιίου πολέμοιο
πεῖραρ ἐπαλλάξαντες ἐπ' ἀμφοτέροισι τάνυσσαν.

Neque clamor ingens XI, 152 *ἰάχησε δ' Ἐνυὼ σμερδαλέον* ab Homeri Eride alienus est: *Λ* 5 *ἤυσε θεὰ μέγα τε δεινόν τε ὄρθια.* Disertis verbis laetari[1]) dicitur multis occisis XIII, 425

λυγρὴ δ' ἐπετέρπετ' Ἐνυώ
δῆριν ἐπικλονέουσα, κασιγνήτη Πολέμοιο,

vel equo ligneo intra muros tracto XII, 437 *ἐγέλασσεν Ἐνυώ*

δερκομένη πολέμοιο κακὸν τέλος,

et VIII, 286 *ἴση δ' ἐπετέρπετο χάρμῃ*
ἀζομένῃ φρεσὶν ἠσι Θέτιν καὶ δῖον Ἄρηα.

Etiam hoc Homerus finxit *Λ* 73:

Ἔρις δ' ἄρ' ἔχαιρε πολύστονος εἰσορόωσα.

Praeterea numinum in scuto Achillis pictorum numerum auxit Enyo addita (V, 29), sicut Vergilius[2]) Homeri daemonibus Bellonam adiecit. Postremo Troianus quidam Penthesileam conspiciens (I, 365) putat eam esse *Ἀθηναίην ἢ καρτερόθυμον Ἐνυὼ ἢ Ἔριδ' ἢ κλείτην Λητωΐδα.*

Ut paucis complectar, Quintus nihil fecit, nisi quod Homeri, quae uni daemoni tribuit, ad omnia belli numina detulit, ita ut ea, quae singulis daemonibus propria et insignia erant, prorsus confunderet neque ulli daemoni quicquam a ceteris discriminis inesset. Quod aperte e Troiani verbis elucet, qui Penthesileam conspiciens de Minerva, Enyo, Eride, Diana dubitare dicitur. Consilium poetae, quo daemones induxit, patet: idonei videlicet ei videbantur, quibus descriptiones pugnae satis molestas et taedii plenas vividis coloribus interpolaret.

Pauca restat ut addam: apud Colluthum rapt. Hel. bis Enyus mentio fit: in v. 142 Minerva Paridem bellum se docturam pollicetur:

μή ποτέ σοι βαρύμηνις ἐπιβρίσειεν Ἐνυώ,

et v. 151: *ὠκύμοροι θνήσκουσιν ὑποδρηστῆρες Ἐνυοῦς.*

---

1) cf. Philostrat. imag. p. 383 *ἵπποι, ὅπλα, λύθρον πηλός, ᾧ φασι τὴν Ἐνυὼ χαίρειν.*

2) Aen. VIII, 703.

Cernitur poetarum alexandrinorum mos, ut pro deo usitatissimo Marte inferiorem deam supponant: ut apud Lycophronem Aiax πρηστὴρ Ἐννοῦς, apud Callimachum milites ζωστῆρες Ἐννοῦς dicuntur, sic Colluthus milites ὑποδρηστῆρας Ἐννοῦς vocat.

Neque Tryphiodorus ab hac consuetudine recedit, cum dicat v. 7:

ἤδη μὲν δεκάτοιο κυλινδομένη λυκάβαντος
γηραλέη τετάνυστο φόνων ἀκόρητος Ἐννώ.

et v. 561:[1])

παννυχίη δ' ἐχόρευσεν ἀνὰ πτόλιν, οἷα θύελλα.....
αἵματος ἀκρήτοιο μέθης ἐπίκωμος Ἐννώ.

Frequentissimum in usum vox Ἐννὼ apud Nonnum venit, qui sescenties fere ἐννώ pro bello usurpat, raro pro dea: II, 419 Iove in pugnam proficiscente:

ἀντιάχησεν Ἐννὼ, Ἄρης δ' ἐσμαράγησε,

XXXIII, 156 inter Martis comites numeratur, XXIV, 147 Deriades vocatur ἔρνος Ἐννοῦς, idem XXI, 260 de se praedicat:

οὐ Σεμέλη με λόχευσε πυριβλήτοις ὑμεναίοις
δεξαμένη θαλάμοις φόνιον φλόγα, χαλκοχιτὼν δέ
ἡμέας ἠέξησε μόθων ἀκόρητος[2]) Ἐννώ.

Quod dicitur: χαλκοχιτών, Wieseler[3]) indicium esse putat Enyo pictam fuisse vel caelatam thorace aeneo indutam; quod etsi per se recte se habere non nego, ex hoc epitheto concludi posse nequaquam credo; immo meo quidem iudicio poeta eam χαλκοχιτών nominavit eo consilio, ut deam horridam a Semele tenella plane diversam premeret.

XLIII, 3: γαμίου πολέμοιο θεμείλια πῆξεν Ἐννὼ,

eodem sensu hoc loco usurpata est, quo saepissime poetae Romani, ut infra conspicuum erit, Bellonam exhibuerunt.

---

[1]) cf. de Marte Lycophr. 249, Nonn. XXVIII, 275, 308.
[2]) v. Tryphiod. v. 561.
[3]) l. l. p. 118.

Bellona.[1]

Ab incolis Romae antiquissimis iam Bellonam vel Duellonam divina potestate praeditam fuisse e multis testimoniis apparet. Equidem non omnia, quae de eius templis[2]) et cultu enucleata sunt, recoquere in animo habeo. Hoc unum addam mihi non persuasum esse Bellonam eandem esse atque Sabinorum deam Nerio[3]) sive Nerienem. Tiesler p. 3 ex eo, quod multa inprimis ad bellum spectantia Romani a Sabinis mutuati sunt et quod Appius Claudius, qui primus Bellonae templum voverit, e gente Sabinorum oriundus fuerit, collegit originem duxisse Bellonam a Sabinis, ergo eandem esse ac Nerienem, quam in Sabinorum superstitione bello praefuisse sciamus. Quam coniecturam dicit miro modo confirmari loco Laurentii Lydi, qui commemorat tubilustrium in Martis Nerienaeque honorem sollemniter obitum ante diem X. Kal. Apriles i. e. „eodem die, quo Bellonae sacra fieri solerent." At ex Ovidio discimus diem festum Bellonae, belli deae, fuisse olim ante diem III. non. Iunias, tum dea cum Asiatica Bellona confusa a. d. IX. Kal. Apriles (Ovid. fast. III 813). Itaque licet eodem die celebratae fuissent — re vera ne sunt quidem — concludi non potest Nerienem unam esse cum Bellona. Ergo, quoniam ceterae quoque causae fragiles sunt, in dubio relinquendum est, unde originem duxerit.

Postquam Graecorum studio imbuti sunt Romani, et Mars pater maiestate vetusta privatus est et Bellona plane mutavit speciem partesque, comparata cum Graecorum numine *Ἐνυώ*, cuius in partibus amplificandis et vividioribus coloribus pingendis quasi bacchati sunt Romani. Bellonam Asiaticam poetae,[4]) etsi saepe cultum fanaticum describunt, tamen a propria belli dea plane diversam agnoverunt, itaque eius rationem habere supersedeo.

Poetarum primus Plautus Bellonam usurpavit. In Bacch. IV, 8 v. 6. Cleomachus miles contestatur Bellonam et Martem ut suos potissimum deos:

---

[1]) Preller-Jordan: Röm. Mythol. II, p. 247. Procksch in Roscheri lex. s. v. Tiesler: de Bellonae cultu et sacris.

[2]) Nuper de eius templis iterum egit Aust.: de aed. sacr. pop. Rom., Marb. 1889.

[3]) Neriene Martis conjux etiam in carminibus invenitur: Ennius Ann. (Vahl. v. 108); Plaut. in Trucul. II, 6, 34, ubi miles meretricem ita adloquitur: Mars peregre adveniens salutat Nerienem uxorem suam. In Bacch. v. 893 Schöllius coniecit, nescio an iniuria: Nerio. Licin. Imbr. 1 (p. 35 Ribb.). Varro Sat. Men. 507 (Bü.); tum e carminibus plane evanuit.

[4]) Tibull. I, 6, 43, Horat. Sat. II, 3, 223, Lucani I, 565, Martialis XI, 84, XII, 57, Iuven. IV, 86, VI, 410.

Neque Bellona mi unquam neque Mars creduat,
Ni illum exanimalem faxo e. q. s.

Videmus iam tum eam in Romanorum superstitione iisdem partibus functam esse, quibus Graecorum Ἐννώ.

In Amphitryonis prologo v. 47 Mercurius dicit:

Quid ego memorem (beneficia patris) —
ut alios in tragoediis
vidi Neptunum, Virtutem, Victoriam,
Martem, Bellonam commemorare quae bona
vobis fecissent.

Quo ex loco discimus etiam Bellonam fictam esse prologum facientem. Veniamus ad Vergilium: in Aen. l. VII, v. 319 Iuno Laviniae gravissime minitatur, cum dicit:

Sanguine Troiano et Rutulo dotabere, virgo,
et Bellona manet te pronuba.

Cum aliis locis haud ita raris Iuno ipsa pronuba[1]) dea ducta sit, hic graviter poeta eam facit pronuntiantem non se sed belli deam cruentam Laviniam manere. Ceteroqui furiae apud Ovidium her. II, 107 easdem partes obeunt:

Pronuba Tisiphone thalamis ululavit in illis

vel apud Senecam (Oed. 643 Creon edicit):

mecum Erinyn pronubam thalami traham.

Apud Lucanum VIII, 90 Cornelia luget:

me pronuba duxit Erinys;

conferendus Nonni quoque videtur locus VIII, 392:

καὶ γάμος ἦν Σεμέλης θανατηφόρος, ἧς ἐνὶ θεσμῷ
πυρκαιὴν καὶ τύμβον ἐθήκατο παστὸν Ἐριννύς.

Omnino hanc elocutionem inde a Vergilio τόπον exstitisse infra demonstrabimus.

In scuto Aeneae, quo Mars, Dirae, Discordia pugnantes pictae sunt VIII, 703:

cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Aperte hoc loco Vergilius Homeri vestigia secutus est, qui in

---

[1]) v. Servii adn. Aen. IV, 59.

Achillis scuto Il. Σ 535 versantes facit Eridem, Kydoimon, Kera; sed exornavit illius picturam adiecta Bellona, cui tribuit flagellum sanguineum. Hoc signum opinor poetam mutuatum esse a furiarum habitu, quas flagellum gestantes saepissime[1]) invenies.

Semel tantum Bellonam usurpavit Ovidius, in Persei nuptiarum enarratione: metam. V, 155:

> .. sonus armorum superat . . .
> „pollutosque semel multo Bellona penates[2])
> sanguine perfundit renovataque proelia miscet."

Propria hic est belli dea Martis partibus adsumptis.

En habes tenuem exemplorum seriem, quae leguntur in aureae aetatis carminibus. Largam contra messem faciemus e posterioris aetatis poetis:

Seneca in Agam. v. 82 chorum de facinoribus et impudicitia Atridarum domum perturbantibus querentem facit: . . sequitur tristis sanguinolenta Bellona manu.

Oculis obversatus esse videtur Vergilius l. l. In Herc. Oet. 1312 Hercules Bellonam implorat, ut gravissimos dolores caede finiat:

> abrumpat Erebi claustra, me stricto petat
> Bellona ferro.

Hoc primo loco Bellonae sedes ficta est in Erebo sita, quod non mireris, quoniam Orcus omnium malorum sedes habitus est, de quo infra disputabimus. Ferrum quoque novum.

Lucanus pro indole sua aspernatus est Bellonam, nisi quod Caesarem in proelio furentem cum ea contulit VIII, 568:

> quacumque vagatur
> sanguineum quatiens veluti Bellona flagellum.[3])

Habes meram imitationem Vergilii. In Eumolpi de bello civili carmine (Petron. 124 v. 256) inter Ditis chorum ex Erebi sedibus emergentem cum furiis „Bellona minax" egreditur. Et hic vulgarem de monstris in Orco positis opinionem secutus est.

Calpurnius in ecl. I v. 46 cum pacem futuram describere vult, pigmenta orationis adoptavit e Vergilio (Aen. I, 294):

---

[1]) velut Verg. VI, 570, VII, 336, 451, Luc. VI, 730, Stat. Th. I, 112, IX, 153.

[2]) cf. Octavia v. 162: Erinys . . . polluit Stygia face sacros penates.

[3]) Hic versus laudatur a Seneca de ira II, 35, ex quo Baehrens eum cum loco quodam de Discordia inter fragmenta poet. Rom. (p. 359) inseruit. Satis temere. Alter enim est Vergilii (VIII, 702) alter Lucani. Quin Seneca pro voce „veluti" quae minus quadraret laudanti, similibus ex locis suppleverit „dextra" minime dubito.

. . . dabit impia vinctas Post tergum Bellona manus spoliataque telis In sua vesanos torquebit viscera morsus	Furor impius intus . . . centum vinctus aënis post tergum nodis fremet horridus ore cruento.

De hac fictione v. infra p. 55. Veniamus ad Valerium Flaccum, qui nonnihil excoluit Bellonae habitum in l. III v. 60 sq., ubi Cyzicum, cui in conspectum venit, ad pugnam irritat:

Ecce super foribus . . Bellona reclusis
nuda latus passuque movens orichalca sonoro
adstitit et triplici pulsans fastigia crista
hinc ciet aere virum.

Nova sunt: nuda latus, orichalcum, crista triplex. Unde poeta adsciverit tubam, certis argumentis diiudicari nequit. At constat tuba signum proelii incipientis datum esse, ergo non mirum videtur, quod etiam Bellonae, quae saepissime proelii initium facere dicitur, tributa sit. Praeterea a Vergilio iam Allecto furia picta erat „cornu recurvo Tartaream vocem intendens“[1] (Aen. VII, 513). Illud „ciet aere virum“ conferas cum Vergili loco VI, 165, ubi Misenus praestantissimus dicitur: aere ciere viros.

In l. I, 546 Iupiter bella Asianorum et Graecorum vaticinans Bellonam adfatur:

via facta per undas
perque hiemes, Bellona, tibi.

In l. II, 228 mariti, cum uxores saevissimas advolantes videant, oculos premunt, quasi furiarum agmen conspiciant et „ferrum super Bellona coruscet“. Ferrum ei Senecam tribuisse videramus.

Colores deae auxit Silius Italicus duobus locis: In pugna apud Ticinum commissa Mars ingrediens fingitur Iris, Eumenidibus, Leti innumerabilibus faciebus (auctore Vergilio XII, 331) IV, 439:

frenisque operata regendis
quadiiugos atro stimulat Bellona flagello.

Sanguineum flagellum Vergilii haud inepte usurpavit ad fingendam plane novam figuram i. e. aurigam Martis. Etenim quamvis saepe Mars cum Bellona coniunctus videatur, tamen nullum inveni locum, quo Graecorum Ἐνυώ Martis auriga nominetur; apud Homerum Deimos et Phobos equos iungunt, apud Hesiodum regunt. Verisimile videtur Silium ab Homero ad hanc fictionem ductum esse, nisi forte in carmine quodam epico legerit istam translationem.

Uberius describit Bellonam in l. V, 220, ubi dea in pugna apud lacum Trasimenum facta medias acies pererrat, sicut Eris Homeri,

---

[1]) cf. Stat. Th. VIII, 345: Tisiphone acuit tubas.

Enyo Quinti, Vergilii Tisiphone. Diva Tartarea dicta, quoniam sedes in Erebo:

1. facem quatiens,
2. flavam comam sanguine sparsa,
3. stridit sub pectore letiferum murmur,
4. ferali cantu bucina horrida lymphatas mentes in certamina agit.

Tota descriptio e variis composita. Ac primum quidem facem belli signum fuisse ac belli dis tributam docet Wieseler.[1]) Usitatissimum est poetis Romanis furias facibus instruere (inprimis Vergilio VII, 457, Ovidio Met. IV, 461), a quibus Silium hoc mutuatum esse censeo, sicut etiam illud „letiferum murmur" prorsus furias sapit. Tota pictura Silio dignissima.

Apud aequalem Statium τόπον illum, de quo supra dictum est, iterum legimus in Achill. I, 34, ubi Thetis Teucrorum classe adveniente edicit:

> Ecce novam Priamo facibus de puppe levatis
> fert Bellona nurum.

Porro pugna exardescente pingitur Bellona maxime in Th. IV, 6:

1. manu ostendit rutilam facem,
2. hastam trabalem intorquet,
3. castra subit, mixta viris, fremit turmale,
4. dat enses, plaudit equos, vocat ad portas.

Vivida descriptio proelii exorientis. Novum telum ei tribuit poeta hastam, quam belli deorum proprium signum fuisse ex Homero Martis arma describente cognoscas; Minervae potissimum data est. Praeterea his versibus adluditur ad fetialium usum,[2]) qui exoriente bello hastam hostium terram versus iacere solebant, vel ad columnam bellicam ante Bellonae aedes collocatam.

Eandem fictionem habes in l. VIII, v. 346, ubi Bellona initio proelii „trepidas fores armataque limina pulsat".

In l. II, v. 719 Tydeus Pallada cum Bellona confert:

> nec magis ardentes Mavors hastataque pugnae
> impulerit Bellona tubas.

In l. XII, v. 721 dicitur dea alternas gentes in proelia ciere „dissimilis". Alicuius momenti esse videtur adiectivum „dissimilis". Nam cum uterque exercitus langueat et sine clamore aggrediatur, Bellona „dissimilis" vocatur, quod milites magno cum tumultu consuevit

---

[1]) l. l. p. 115.
[2]) v. Tiesler p. 6.

stimulare. Ergo strepitum clamoremque peculiare deae signum fuisse concludi potest; confer sis Vergilium, qui in scuto depingendo Homeri „Ἄρης, Ἔρις, Κυδοιμός, Κήρ" reddidit: Mars, Discordia, Bellona, Dirae.

In pugna ipsa Bellona versari dicitur l. IX, v. 297, ubi Tydeus Bellonam pugnam in amnem deiecisse exclamat.

In l. X, 855 incolae supremam lucem venisse credunt vel Bellonam facibus cruentis turres solo aequaturam.

In XI, 413 Bellona significatur pugna iusta, quippe quae faces restinguat[1]) i. e. cum Marte, Virtute proelium deserat fratribus Eteocle et Polynice armis bellum decertantibus. Eius partes suscipiunt furiae.

In l. VII, 805 terrae motus conferuntur cum Bellona „pugnas super aequora miscente, contempto mari".

Postremo Martis auriga ficta est in l. VII 73:

„regit atra iugales
sanguinea Bellona manu longaque fatigat
cuspide."

Quam imaginem nescio an ex eodem fonte hauserit, unde Silius.

Cursum deflectamus ad Avienum, qui versus Arati (125):

καὶ δή που πόλεμοι καὶ ἀνάρσιον αἷμα
ἔσσεται ἀνθρώποισι, κακοῖς δ' ἐπικείσεται ἄλγος

in Arat. v. 333 sic exornavit (verba sunt Iustitiae populis argenteae aetatis degeneris minitantis):

nascetur vilior aetas
et lacerata genas ibit Bellona per urbes
saucia, ut infidas agitent certamina mentis.

Et hic Bellona propria bellorum auctor. Nova attributa: „lacerata genas, saucia," quae in memoriam reducunt Discordiae (Petronii) et furiarum descriptiones varie a variis excultas.

Similem in modum Dionysii Periegos. v. 1150 Baccho Indis bellum inferente circumscripsit Avienus III, 1362 . . . vipereo late Bellona flagello increpat e. q. s.

Sanguineum Vergilii flagellum hic cessit furiarum telo horribili.[2])

---

[1]) Sic Athena Eirenophoros facem restinguit: Paciaudi: Mon. di Pelop. I, p. 35, Millin: gal. myth. 37, 137.

[2]) Stat. VII, 579 Tisiphonae tribuit vipereum flagellum. Cf. Sen. Herc. f. 88. Nonnus Megaerae dedit ἱμάσθλην ἐχιδνήεσσαν X, 38, XXXII, 103, XLIV, 261.

Prae ceteris Bellonam in deliciis habuit Claudianus. Uberrima munera ei tribuit in carmine II in Eutrop. v. 110 sq., ubi Mars stimulare dicitur implacabile numen[1]) ad pugnas excitandas. Sic describitur:

1. sanguine sordida vestem[2]),
2. pectebat[3]) hydros pingues Illyricis stragibus,
3. Tartaream tubam Mars eam inflare iubet, deinde
4. stringere falcem, qua populos a stirpe metit,
5. saevas faces trans aequora vertere.

Dicto parens Bellona

1. per auras volat, sequens hastam a Marte in Phrygiis arvis defixam, cum centum[4]) meditatur vias nocendi,
2. uxoris Tarbigili, Getarum ducis, speciem induit,
    a) carbaseos sinus induta,
    b) fibula vestes mordebat,
    c) crines mitra in orbem extulerat
    d) virides angues flavescere iubebat.
3. Tarbigilum ipsum adit,
    a) furiale virus per oscula infundit,
    b) continuo genas ungue secat, gemitus pandit.
4. oratione vehementissima eum adducere studet, ut a Romanis deficiat.
5. quo facto in avem vertitur diram,
    a) rostro recurvo turpis,
    b) infernis tenebris obscurior alas,
    c) in sepulcro vetere sedet, auspicium ferale.

Tota in enarratione facile intellegas belli deam integram prae se ferre furiarum imaginem, sicut in superstitione populi Romani fictae a Vergilio eiusque sectatoribus adumbratae sunt. A superioribus deprompta Tartarea tuba, saevae faces. Novum telum falx. Praeterea primus Claudianus angues ei tribuit, nisi quod Avienus iam flagellum vipereum usurpavit. Partes, quibus hic fungitur Bellona, adumbratae sunt e Vergilii Aen. VII, 323, ut ex comparatione dilucide apparet. Nam Vergilius quidem primus hunc *τόπον* carmini intexuisse videtur, ut furia quaedam, a deo sive dea incitata, belli semina in alicuius animo deponeret. Singula imitationis vestigia iam adnotata sunt, pauca addenda: Mars Bellonam stimulat, velut

---

[1]) Item vocatur Tisiphone apud Ov. met. IV, 452.

[2]) cf. *Κήρ* Homeri *Σ* 536. Tisiphone Aen. VI, 555: palla succincta cruenta. Ov. Met. IV, 482, cf. Qu. Sm. VIII, 286.

[3]) Tisiphone apud Tib. I, 3, 169 pexa feros pro crinibus angues, Ov. met. IV, 454 deque suis atros pectebant crinibus angues. Tisiph. Stat. Th. I, 90.

[4]) de Allecto Verg. VII, 338: tibi mille nocendi artes.

Iuno Allecto (Verg. VII, 323), Tisiphonen (Ovid. met. IV, 473 sq. et Sil. II, 526), Iupiter Megaeram (Verg. XII, 860). Speciem convertit, sicut Allecto in Iunonis sacerdotem, Tisiphone in Tiburnam (Sil. II, 554). Volat rapidissimo cursu per auras, velut Allecto Verg. VII, 406, 476, Megaera XII, 853. Mandatum exsecuta in avem mutatur, velut Megaera in alitem, quae „in bustis sedens importuna canit per umbras."

En habes eruditam ac sollertem conquisitionem variarum descriptionum furiarum. Novi nil fere intelligas, nisi in eo, quod peracta oratione dea avis formam induit. Non mutuatus est poeta varium serpentium usum, in quo bacchari solebant superiores.

Martis servam Bellonam ter finxit Claudianus, primum ante proelium (in Ruf. (I) 324), ubi Mars celeres ministros adhortatur: fer galeam, Bellona, mihi! Pavore et Formidine de curru curantibus.

Deinde triumphum agens Stilicho (de cons. St. (II) 371) Marti confertur e victoria redeunti, Quirino auriga, cum Bellona praeter Metum, Pavorem, Formidinem patris currum praecedat „tendens ad sidera quercum", disertis verbis filia Martis appellata; nisi quid me fugit, hoc uno[1]) loco Bellona affinitate cum Marte coniuncta est, neque de Enyo Martis filia in carminibus Graecorum quidquam inveni.

In libello de Ol. et Prob. cons. v. 121 Theodosius bello peracto quieti se dat, comparatus cum Marte ex caedis laboribus se reficiente:

exuvias Bellona levat, Bellona tepentes
solvit equos.

Deinde ad prosperos belli eventus premendos Bellonam usurpavit; in Ruf. II, 263 milites ducem ad decertandum incitant:

spernisne tuas, dux optime, dextras,
quas tibi victrices totiens Bellona probavit?

De bello Poll. 34 Bellona dicitur „Getas tot trophaeis aluisse".

In Eutrop. I, 314 „in dubio vindex Bellona pependit", quoniam Eutropius eunuchus oracula reportavit.

Lepide in l. de bello Poll. 466, cum premere vult poeta Stilichonis milites non fuisse agricolas, dicit:

Nec temptat clipeum proiectis sumere rastris
Bellona ridente Ceres.

Pictura quaedam ante oculos ei obversata fuisse videtur in describenda pace (de IV, cons. Hon. 12):

---

[1]) Eam Martis uxorem fictam esse falsissime concluserunt viri docti e loco Val. Fl. I, 208, ubi Mavortia coniunx non est Bellona, sed Venus.

Iam trabeam Bellona gerit parmamque removit
et galeam sacras umeris vectura curules.

Hactenus de Claudiano.

Qui inprimis eum excussit, **Apollinaris Sidonius**, duobus tantum locis (Paneg. ad Maior. 32 et 224) Bellonam affert In enarranda Romae divae specie ficta est „trophaeum exstruens et quercum captivo pondere curvans". Deprompsit singula e Claudiani descriptione Martis currus (de cons. Stil. II, 371) et Romae divae (in Ol. et Pr. 75).

Et in eiusdem carminis v. 229 de nuptiis a Gaudentio perturbatis dicit:

ilicet increscit Mavors thalamique refringit
plus ardens Bellona faces.

Τόπος tritissimus.

Dracontius in carmine de raptu Helenae v. 147 Cassandram facit pronuntiantem, belli Troiani calamitate descripta: „sic praestat Bellona nurum". Quae aperte ei suppeditavit Statii locus Ach. I, 34.

Pauca restant, ut addam ex incertorum auctorum carminibus: In **Orestis** tragoedia v. 388 Clytaemnestra in oratione ad populum habita dicit: Agamemnonis culpa

„quod vos sic minuit saevis Bellona duellis".

Vix operae pretium videtur, ut adiciam quosdam locos ex **Anthologia latina**: in carmine „Hippodamia (R. p. 31) legis Vergilii versum l. VIII, 703 ad verbum expressum. In carmine quodam (R. p. 14) Bellona „iurgantes deos stimulat flagello". Et in ista arida declamatione „de verbis Achillis, cum tubam Diomedis audivisset" (R. p. 188) Achilles de tempore futuro pronuntiat:

„nec spondet certam tristis Bellona salutem."

Iam quidem eos locos collegi, quibus Bellona Graeco Enyus nomine dicta apud poetas legitur, sunt nimirum pauci:

Petronius in bello civ. v. 62 dicit:

tres tulerat Fortuna duces, quos obruit omnes
armorum strue diversa feralis Enyo.

Valerius Flaccus l. IV, 604 Amazones dicit non esse feminineas catervas,

„sed qualis, sed quanta viris insultat Enyo."

Porro **Silius** pugnam produci dicit: veluti nondum satiaverit Enyo iras saeva truces.[1])

[1]) cf. Tryphiod. 7, Nonn. XXI, 260.

A Statio Th. V, 155 in Lemniarum contra maritos coniuratione inducitur Enyo Martia, praeter Cererem infernam, Erinyes.

In l. VIII, 656 ficta est proelium restituens: „aliis serpentibus ardens et face mutata“.

XI, 84 Tisiphone fratres contra se stimulans despicit propria belli numina: „hoc Mars habeat vulgataque iactet Enyo“. Itaque ambo (v. 413) fugam capientes ficti sunt.

Bis Martialis Enyo affert VI, 32: cum dubitarit adhuc belli civilis[1]) Enyo et 24, 3: „navalis Enyo“.

Claudianus (in Eutr. I v. 237) de Eutropio eunucho Martem erubuisse dicit: aversaque risit Enyo. Confer sis Stat. Th. V, 356: erubuit Pallas et adverso risit Gradivus.

Postremo in Orestis trag. v. 497 partibus furiarum fungitur (verba sunt nutritoris):

torqueat auctores scelerum crudelis Enyo.

Et v. 785:

laudat Enyo nefas, dextram culpabat Erinys.

Vides omnibus his locis gravius discrimen non exstare inter Enyo et Bellonam.

Necnon operae pretium erit, e tota enarratione *τόπους*, quos vocant, colligere: Primum saepissime Bellona inducitur proelio exoriente ducem vel milites stimulans. Medio in proelio acies pererrat; nec silentio praetereundum videtur Bellonam nullo loco fictam esse partes quasdam adiuvantem, sed utrumque exercitum excitat, utrumque laetatur perire.

Haud raro legitur Bellona ironice „pronuba“ si ex quodam matrimonio bellum exortum est. Certe hoc rhetoris scholam resipit; quod meo quidem iudicio testari videtur Augustinus de civ. Dei I, p. 111, ubi de iis matrimoniis verba facit, quae causae bellorum fuere: „talibus nuptiis populum Romanum non Venus, sed Bellona donavit“.

Porro pacem saepe describunt poetae Bellonam in narrationes suas aliquo modo inserentes. Postremo haud ita mirum videtur Bellonam cum Marte coniunctam eius aurigam pictam esse.

---

[1]) civilis Erinys: Lucan. IV, 188, Stat. silv. V, 3, 195.

Eris.[1]

Prorsus diversa ab Enyo atque, etsi maioribus partibus fungitur, multo inferioris ordinis Eris est, quam Discordiam vocant Romani. Iterum ab Homeri carminibus proficiscendum est, quippe quibus testimonia antiquiora neque praesto sint neque unquam inveniantur. Atque quaestionem ita institui, ut singulis locis perlustratis propriam notionem elicere conarer; qua in re, cuius aetatis quisque locus esse videatur, ad vivum resecare nolui, primum quoniam id quod indagarunt viri docti raro pro certo vendere licet, nova autem adicere tironi vix contingat, deinde quod non multum valet ad nostram rem; non enim tam diversa singulis locis Eridis imago apparet, ut scire, utrum priori an posteriori aevo versus tribuendi sint, intersit. Ergo sententiarum conexum tantum, quo loci inserti sint, stringere satis habeamus.

Ter commemoratur Eris in ea parte, de qua supra iam disputavimus, Diomedis *ἀριστείᾳ*, *Δ* 440, *E* 518, 740. Primo loco species describitur:

> *ἥ τ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα*
> *οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει,*

dicitur

> *Ἄρεος ἀνδροφόνοιο κασιγνήτη ἑτάρη τε,*

partes hae:

> *ἥ σφιν καὶ τότε νεῖκος ὁμοίιον ἔμβαλε μέσσῳ*
> *ἐρχομένη καθ' ὅμιλον, ὀφέλλουσα στόνον ἀνδρῶν.*

Locus continetur prooemio pugnae; etenim iam inde a versu 421 novam particulam i. e. *Διομήδους ἀριστείαν*, incipi mihi persuaserunt viri docti.[2]) Atque optime quadrat descriptio huius ipsius numinis ad pugnae initium enarrandum, quod in deliciis habuisse poetas infra conspicuum erit.

In *E* v. 518 cum Marte coniuncta animos incitare dicitur: *ἄμοτον μεμαυῖα.* Quos versus parte sero admodum inserta contineri iam pridem intellexerunt viri docti:[3]) hisce enim versibus pugnam vehementer exarsisse narratur, cum in v. 607 demum exercitus hostium appropinquare dicantur; praeterea sententiarum conexum perspecturi

---

[1]) v. Roscher: (v. Sybel) s. v. Eris. Wieseler l. l.

[2]) v. p. 8, adn. 3.

[3]) Holm l. l. p. 5. W. Ribbeck: Jahrb. f. Phil. 85, p. 20. Benicken l. l. p. 32. Hentze: assecl. p. 102.

gravissime offendent. In verbis *ἄμοτον μεμαυῖα* cernimus nimirum, qui versus interpolatori ante oculos obversati sint.

Multo acriorem litem excitavit *E* v. 740: Minerva aegidem induit:

δεινήν, ἣν πέρι μὲν πάντῃ Φόβος ἐστεφάνωται,
ἐν δ' Ἔρις, ἐν δ' Ἀλκή, ἐν δὲ κρυόεσσα Ἰωκή,
ἐν δέ τε Γοργείη κεφαλὴ δεινοῖο πελώρου,
δεινή τε σμερδνή τε, Διὸς τέρας αἰγιόχοιο.

Totam enarrationem v. 711—792 imitatoris indolem spirare suo iure contenderunt Lachmann, Haupt,[1]) alii; sed erant, qui versus 739—741 solos exulare iuberent: Furtwängler,[2]) Robert[3]) offenderunt in enumeratione daemonum accuratiore descriptione plane omissa; scribentes igitur pro *δεινή τε σμερδνή* „*δεινήν τε σμερδνήν*" tres versus 739—741 eiciunt, ita ut *Διὸς τέρας αἰγιόχοιο* non ad Gorgonis caput pertineat, sed ad aegidem. Mihi quidem nemo unquam persuadebit poetam tam inepte atque impolite dixisse:

βάλετ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν
δεινήν τε σμερδνήν τε, Διὸς τέρας αἰγιόχοιο

i. e. Minerva aegidem induit, signum Iovis aegidem tenentis. Ergo hanc coniecturam mittamus. Quaestio autem exoritur difficillima, utrum daemonum imagines in aegide pictas poeta sibi finxerit, an vires, quae aegide contineantur, premere voluerit.

Hoc unum pro certo affirmare licet Gorgonis caput[4]) re vera expressum esse, de quo infra uberius dicendum erit, sed de Eride, *Ἀλκή, Ἰωκή* idem statuendum esse persuadere mihi non possum; immo ad explanandum hunc locum ac bene intelligendum exemplum petendum esse puto e l. *Ξ* v. 215, ubi Veneris cestus describitur:

ἔνθα τέ οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκτο·
ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστύς,
πάρφασις, ἥ τ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων.

Quae *θελκτήρια* non effigie expressa esse, sed nihil significare nisi, quod cestus efficiat, luce clarius est.

Ergo si cesti vis et effectus eo aptissime premebatur, ut poeta amorem, desiderium, alia eo contineri diceret, quid obstat, ne idem de viribus in aegide inclusis censeamus, praesertim cum *Ἀλκήν, Ἰωκήν* unquam deorum specie indutas esse nesciamus. Bader[5]) cum hac sententia repugnare putans epanaphoram *ἐν δέ — ἐν δέ* ipsa

---

[1]) l. l. p. 24.
[2]) Furtwängler s. v. Gorgoneion in Roscheri lexico.
[3]) Preller-R. I, p. 120.
[4]) v. infra p. 46.
[5]) Jahrb. f. Philol., 1878, p. 578 ff.

cesti descriptione refutatur. Iam dixerit quispiam, cum Eris, Alke, Ioke non effigie fictae sint, satis mirum esse, quod Gorgonis caput poeta cum iis coniunxerit; sed disertis verbis gorgoneum adnectitur ut novum aliquid idque gravissimum (*ἐν δέ — ἐν δέ — ἐν δέ τε*). Itaque in sententia mea persevero. Et postea videbimus omnibus locis[1]), quibus daemonibus in scuto inclusis effectus oculis subiciuntur, eos nusquam accuratius describi solere, quod vix omisisset poeta, si imagines caelatas sibi finxisset.

Iterum Eris proelium incitasse dicitur *Λ* 3:

Ζεὺς δ' Ἔριδα προΐαλλε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν
ἀργαλέην, πολέμοιο τέρας μετὰ χερσὶν ἔχουσαν,

deinde in nave Ulixis consistit:

ἔνθα στᾶσ' ἤυσε θεὰ μέγα τε δεινόν τε
ὄρθι', Ἀχαιοῖσιν δὲ μέγα σθένος ἔμβαλ' κ. τ. λ.

Qui hoc prooemium, num suo loco sit vel genuina Iliadis pars, pertractare studebit, crabrones irritare videbitur; sed fateor mihi valde arrisisse Friedlaenderi[2]) opinionem, qui totum colorem huius particulae prooemii esse dicit carminis cuiusdam sive de regibus vulneratis compositi sive de pugna apud naves commissa. Quocum initio optime congruit Eris a Iove missa, ut animos Achaeorum ingenti clamore inflammaret. Quid sit *πολέμοιο τέρας*, quod manu tenens dicitur, non modo nostrae aetatis viri docti inter se dissenserunt. E scholiis[3]) de grammaticorum sententiis haec comperimus: *ὅτι πολέμοιο τέρας τὸν εἰδωλοποιούμενον πόλεμον, τὸν ποιητικὸν τοῦ ἐνεργουμένου πολέμου . . . οἱ δὲ ἀστραπὴν . . ὡς καὶ Ἀριστοφάνης, . . . Ἀπολλώνιος δὲ τὸν Κυδοιμὸν . . . οἱ δὲ τὸ ξίφος . . οἱ δὲ λαμπάδα.* Prima ratio Aristarchi[4]) nimirum prorsus abicienda est; e verbis enim: *μετὰ χερσὶν ἔχουσα* discimus Eridem re vera aliquid in manibus gestasse, quo pugnantes excitaret. Eadem de causa Apollonium mittamus. Nunc quidem plerique[5]) aegidem dici arbitrantur, quod in ea Gorgonis caput fictum sit *Διὸς τέρας αἰγιόχοιο* (*E* 740); infeliciter meo iudicio hunc locum attulerunt, plane aliud enim est *πολέμοιο τέρας* ac *Διὸς τέρας*. Putarit quispiam Iovem, qui Eridem mitteret, aegidem ei mutuatum esse, velut Apollini XV, 307; sed cum hoc pugnare videtur non quod Eris ipsa

---

1) v. Odofr. Müller: archaeol. Vindication d. Heraklesschildes, Kl. Schr. II, p. 619.
2) Die homer. Kritik, p. 39. v. Bernhardy: Grundr. II³ 1, p. 165.
3) Dind. I, p. 370.
4) v. Aristonic. ed. Friedl., p. 185.
5) Autenrieth: Naegelsbach. Hom. Theol., p. 96. Goettling adn. scut. Heracl. 339.

in aegide ficta est,[1]) verum quod aegide nusquam ad pugnandum lacessitur, potius hostes terrentur et fugantur. Ergo Eridem, quoniam nunquam alicui parti favere dicitur, nihil agit nisi ut animos incitet, aegide indutam fuisse non verisimile est, contra Minervam Graecorum adiutricem aegidem gestasse non miramur. Franke[2]) arcum caelestem dici putat, quem poeta ab Eride ingenti corpore praedita super Achaeorum naves extensum finxisset; sane *P* 548 arcus *τέρας πόλεμοιο* vocatur, sed quomodo fieri potest, ut hoc signum „in manibus teneat"? praeterea recte animadvertit Hentze hoc loco nihil nos iubere Eridem alia apparuisse figura credere, atque ea, qua dei uti soleant. E. H. Meyer[3]) quidem hoc loco Iridem, veterem belli deam, a diasceuasta in Eridem mutatam esse censet, quod credat Iudaeus Apella. Me quidem Wieseler[4]) habet assentientem qui facem verum *πολέμοιο τέρας* esse, ut iam scholiasta adnotavit, suo iure contendit, vetus enim belli signum est (apud Homerum *δαίς* et fax et bellum est); velut Minervam face praeditam in artis monumentis invenimus, a poetis Romanis sescenties Bellona et Discordia facem quatientes finguntur. Porro idem admodum probabiliter vasis figuram quandam,[5]) deam duas hastas sinistra, facem dextra tenentem vel aliis de causis Eridem esse coniecit. Ergo aptissime Eris facem quatiens mediis in copiis versans ingenti clamore ad proelium incitare describitur.

In eiusdem libri v. 73 de Eride exercitibus aggressuris dicitur:

ἔχαιρε πολύστονος εἰσορόωσα,
οἴη γάρ ῥα θεῶν παρετύγχανε μαρναμένοισιν.

vv. 72—77 serum additamentum esse Lachmann[6]) eiusque sectatores non sine iustis causis contenderunt, etsi me non totum assentientem habent. Alicuius momenti duco, quod Eris hic *θεός* vocatur, quod „*οἴη θεῶν*" inter pugnantes versatur, quod laetatur strage futura.

In scuto Achillis *Σ* 535 praeter Martem et Minervam Eris in caede cruenta versans ficta est:

ἐν δ' Ἔρις, ἐν δὲ Κυδοιμὸς ὁμίλεον, ἐν δ' ὀλοὴ Κὴρ . . .
ὡμίλεον δ' ὥς τε ζωοὶ βροτοὶ ἠδ' ἐμάχοντο,
νεκρούς τ' ἀλλήλων ἔρυον κατατεθνηῶτας.

Quid de exemplaribus scuti iudicandum sit, quaestio est et tri-

[1]) Hentze: assecl., p. 86.
[2]) Faesi-Franke edit. adn.
[3]) Achilleis p. 34.
[4]) l. l. exc. II.
[5]) exc. IV, p. 119. Stephani: Vasensamml. d. kais. Eremit., n. 428.
[6]) p. 37, sed nimis m. q. s. pressit v. 45.

tissima et difficillima; equidem maximam partem Helbigii[1]) rationem sequor, qui totum scutum poetae fictionem, in singulis autem depingendis artificia quaedam ei ante oculos obversata iudicat. Atque si numinum Martis, Minervae, Eridis e. q. s. effigies ei notae erant, statuendum est Graecos illis temporibus iam coepisse deos simulacris exhibere; attamen Mars et Minerva quidem sine dubio, nisi omnia viros artis peritos fallunt, nondum artificiis fingi poterant. Sed in Eride et ceteris daemonibus describendis verisimile Helbig arbitratur poetam artificium quoddam secutum esse, quoniam constet talia numina terribilia iampridem in arte inveteravisse. Quod nequaquam concedam, nam hoc unum scimus vel potius pro certo affirmare licet gorgoneum Homeri aetate innotuisse et imagines, quae hostes terrendi causa in scutis depictae erant; plane aliud nimirum est caput Gorgonis vel leonis atque daemones inter acies tumultuantes. Ergo satius duco hanc descriptionem poetae ingenio soli tribuere, qui optime caedem horridam eo illustrat, quod daemones inter medium proelium saevientes facit, neque sine certo consilio, ut puto, Eris, *Κυδοιμός*, *Κήρ* electi sunt; nonne pugnae speciem tres hi *προσωποποιίαι* adumbrant, idque eo ordine, quo a poeta enumerantur?

Postremo in *θεομαχία,* cuius de origine satis sera dubium vix relictum est, v. 48 Eris commemoratur:

ὦρτο δ' Ἔρις κρατερὴ λαόσσοος, αὖε δ' Ἀθήνη.

Bene dis ad pugnam tendentibus Eris quasi oritur, a neminis partibus stans, *λαόσσοος*.

Omnibus locis ita perlustratis non alienum videtur, ut recte percipiatur vis et notio Eridis, brevi proferre, quid de daemonum belli naturae poetae Iliadis vel, quod idem est, Graeci antiquissimorum temporum senserint.[2]) Atque primum premendum est, quae discrimina inter eos et deos superiores intersint. Qui cum multis et variis viribus valeant ex uno fonte naturae manantibus, cui deus quisque praeesse putatur, illi daemones nihil sunt nisi merae *προσωποποιίαι,* quibus aliqua dei superioris vis significetur et divina specie afficiatur. Cum enim in provincia quadam, quae deo alicui a Graecis decreta atque destinata erat, singulare aliquid et peculiare praeter cetera eminebat, quod vel maxime hominum oculis et mentibus se offerebat, Graeci huic notioni divinam potestatem impertire solebant et numen sibi finxerunt, quod artius cum illo deo coniungebant: exempli gratia, cum Apollo esset patronus poesis, singulis poesis generibus Musas praefecerunt, Veneri Charites adiecerunt, Iovi The-

---

[1]) Das homer. Epos a. s. Denkm. erl.², p. 389, 414.
[2]) Egregie de his disseruit Nitzsch in praef. Odyss., p. XIII, cf. Dissen: Kl. Schr., p. 352. Welcker: Gr. Götterl., I, p. 676 sq. Naegelsbach: Hom. Theol., p. 93.

min, Iunoni Eileithyiam. Sic Martis comites belli daemones sunt, inprimis *Ἔρις, Δεῖμος, Φόβος,* quos caveas, ne eadem aestimatione metiaris, qua Romanorum poetarum innumerabiles *προσωποποιίας;* Graeci enim vires humanum modum quasi excedentes re vera numinis cuiusdam esse existimabant, quo et causa efficiens et effectus significetur, *τὸ ἀποτελοῦν καὶ τὸ ἀποτελούμενον,*[1]) ut Aristotelis verbis utar. Itaque nusquam adsunt, nisi ubi id est, cui praesunt. In Homeri carminibus, etsi pallido tantum atramento delineati sunt, tamen quae omnibus communia sunt indagare possumus:

I. Nunquam adorantur neque publice coluntur, Olympi nectarisque expertes.

II. Nunquam, sicut dei superiores, loquentes fiunt.

III. Nunquam ab alicuius partibus stant; semper id solum agunt, ut proelium utrisque ambiguum reddant.

Quae numina num iam ante Homeri carmina in superstitione fuerint, quis est, qui diiudicet? Hoc autem premendum apud Homerum aperte cerni posse, quomodo notio paulatim numinis specie induatur.

Sed accuratius Eridem intueamur: Elementa atque initia numinis fingendi cognoscere licet ex enuntiato *E* v. 861:

ἀνέρες ἐν πολέμῳ ἔριδα ξυνάγοντες Ἄρηος

vel *H* 210:

(ἀνέρες), οὕστε Κρονίωνος
θυμοβόρου ἔριδος μένει ξυνέηκε μάχεσθαι.

Sic non mirum videtur, quod paulatim deam agnoverunt et Marti comitem dederunt, deam rixae, cuius naturam propriam egregie poeta eo significavit, ut eam a parvo initio in immensum crescere diceret; qua in re falluntur, qui in comparatione, ut ita dicam, hyperbolica plus cernere sibi videntur, quam meram fictionem poetae.[2])

Munera Eridis sunt haec: primum animos pugnatorum incitat, quo fit ut semper fere in initio pugnae describendo inveniatur. Deinde inter acies versans „*νεῖκος ὁμοίιον*" agit, neminem adiuvat, laetatur caede. Quod optime quadrat ad antiquissimas, quas novimus, imagines: in Cypseli arca, ut Pausanias docet, inter Aiacem et Hectorem caelata erat, *αἰσχίστη τὸ εἶδος;*[3]) praeterea saepe in vasis[4]) pictam invenimus, ad alteram partem gradientem, dum alteram adspicit. Ceteroqui de vasorum imaginibus sat multis verba facere supersedeo, quippe quas Wieseler studiose collegerit.

---

[1]) v. Eustath. p. 603, 20 (Il.), Nauck: Aristoph. rel. p. 271 et Schrader: Porphyr. rel. p. 45 hoc Aristotelis esse rectissime demonstrarunt.

[2]) v. G. Hermann opusc. IV, p. 297.

[3]) V, 19, 2. v. Brunn: Griech. Künstler, I, p. 39.

[4]) v. Wieseler l. l. p. 109.

Hoc unum addendum nulla exstare testimonia, quibus Eridem unquam publice cultam esse comprobetur.

Nunc quidem Homeri sectatores adeamus:

In Cypriis Eridem haud exiguas egisse partes ex Procli chrestomathia[1]) comperimus, qui haec refert: *Ζεὺς βουλεύεται μετὰ τῆς Θέμιδος περὶ τοῦ Τρωικοῦ πολέμου. παραγενομένη δὲ Ἔρις εὐωχουμένων τῶν θεῶν ἐν τοῖς Πηλέως γάμοις νεῖκος περὶ κάλλους ἐνίστησιν Ἀθηνᾷ Ἥρᾳ καὶ Ἀφροδίτῃ* ... Quomodo Eris litem moverit, uberius enarratum est a recentioris demum aevi scriptoribus,[2]) inprimis a Luciano, qui fabulam illam tritam Eridem non invitatam malum aureum inter epulantes iecisse tradidit itaque inter deas rixam ortam esse de pulchritudine. Malum autem fatale Cypriorum poetae ignotum fuisse, a poetis alexandrinis vel Romanis demum inventum contenderunt omnes,[3]) quantum vidi, qui his rebus operam dederunt argumentis allatis nullis nisi ex silentio perceptis. Equidem, etsi malum alexandrinorum colorem prae se ferre fateor, tamen viris doctis nequaquam contigisse puto, ut alienum a Cypriis esse malum demonstrarent. Sed examinemus argumenta: primum afferunt Proclum id non commemoravisse; at hoc epitomes brevitati tribui potest, praesertim cum nondum sciamus, qualia fuerint *Κύπρια* a Proclo adhibita. Deinde Euripidem, etsi saepe de Paridis iudicio verba fecisset, tacere de malo; recte quidem, sed invenies omnibus his locis[4]) nihil premi nisi Paridem de dearum pulchritudine iudicem fuisse, verba autem non fieri de Eride aut de eo, quod litem moverit. Omnino talibus e causis non iure concludi poetam malum non novisse Ovidii exemplum docet. Qui in epistula Paridis miro modo malum non commemoravit; sed ei id ignotum fuisse concludi non potest, quoniam hac aetate, ut e Trogi Pompei loco[5]) quodam colligo, malo iam proverbii loco uti solebant. Immo iisdem de causis atque Euripides malum plane omisit.[6]) Tum Fraenkel[7]) ideo malum seram clamare aetatem contendit, quod Paris Veneri hoc signum daret, sicut iuvenis virgini, cuius amore flagraret, ergo „konnte der Apfel in diesen Mythus erst von einer Zeit eingeführt werden, deren Göttervorstellungen äusserst lasciv geworden waren". Qua praviorem causam unquam allatum iri vix credam; plane obliviscitur vir doctus Paridem

[1]) Epicor. frgm. ed. Kinkel, p. 16.

[2]) Hygini fab. 92, Serv. ad Aen. I, 27, Colluth. v. 37, Tzetz. ad Lyc. 93, schol. Eurip. Androm. 276.

[3]) Welcker: Alte Denkm. V, p. 380, Ann. d. Inst. arch. XVII, p. 145. Fränkel, Arch. Zeit., 1874, p. 38. Luckenbach, Jahrb., Suppl. 1881, p. 592.

[4]) Androm. 274, Troad. 918, Hel. 25, 675, Iph. Aul. 1285. Idem de Isocrat. enk. Hel. X, § 41, 42 iudico. Omnino Paridis iudicium nullo alio loco commemoratur.

[5]) Iustin. XII, 15, 11.

[6]) v. Zoellner: anal. Ovidiana p. 62.

[7]) l. l. p. 39.

de **Eridis** malo diiudicare, quid de amore? Gravissimum momentum elicuerunt e vasorum imaginibus, quorum nullo malum contineri dicunt. Sed falluntur; exstat enim in Neapolitano[1]) museo vas, quo tres illae deae fictae sunt cum Paride, qui sinistra manu in tergum reiecta aliquid malo vel pilae simile tenet, ut Heydemannus putat. Quod quin malum illud sit, in dubium vocare mea quidem sententia non licet, dum non meliores et graviores causae allatae fuerint, quam Luckenbachii, qui cum in ceteris vasis desit, hic malum exstare negat. Eadem de causa in tribus vasis,[2]) quibus Paridis iudicium pictum est, Overbeck malum a Iunone gestum deae proprium signum esse docet, non Eridis, quocum repugnare mihi videtur, quod Iuno manum cum malo ad Paridem porrigit, Iunonem autem ut summam deam malum sibi vindicare non mirum. Itaque hac ratione singula mali exempla satis commode de medio tolli veto, unum concedens haec vasa recentioris sane aevi esse; attamen alexandrinorum poesin nequaquam ad vasa pingenda ullius momenti fuisse scimus. Quaestio igitur exoritur, quomodo explicare possimus in vasis vetustis mali vestigia adhuc non inveniri. Nonne credibile est in veterum carminibus malum minoris fuisse momenti, ita ut non de malo fuisset certamen, sed ut malum ab Eride iactum rixam tantum de pulchritudine movisset, Paridis autem fuisset, quae pulcherrima esset, diiudicare, non cui malum tribueretur.[3]) Ergo artifices, cum Paridis iudicium fingere vellent, de malo non cogitabant, specie iudicii autem semel delineata et quasi stabilita a ductu communi non recedebant. Praeterea haec animadvertenda sunt: Mirum mehercle esset, si Cypriorum auctor non commemoravisset, qua ratione Eris litem excitasset, nam disertis verbis accedere dicitur ad deos epulantes (*παραγενομένη*);[4]) ergo eam deorum oculos in se convertisse verisimile est, aptissime igitur hoc dono quodam in medium iacto efficit, quoniam omnes deos dona attulisse scimus.[5]) Si autem aliud quid fecisset, ut litem moveret, hoc meo quidem iudicio in vasis aut in fabulis vestigia quaedam reliquisset; sed nullum exstat indicium unquam aliam fuisse fabulam. Ut brevi praecidam, verisimile existimo fabulae illius acceptissimae de malo initia iam in Cypriis fuisse, quae coniectura miro modo confirmari videtur Apollodori epitoma[6]) nuper reperta. Hic enim Eridem malo certamen pulchritudinis excitasse narratur; sed cum omnia reliqua optime cum Cypriorum argumento congruant, hanc unam de malo narrationem a

---

1) Heydemann: Katal. St. Ang. n. 560.

2) Overbeck: Gal. her. Bildw., n. 54, 55, 56, p. 222—224.

3) Proclus dicit: *Ἀλέξανδρος προκρίνει τὴν Ἀφροδίτην.*

4) *παραγίγνεσθαι* apud Proclum semper est accedere, velut: *πρὸς Νέστορα παραγίνεται Μενέλαος, Τήλεφον παραγενόμενον εἰς Ἄργος.*

5) Ep. frgm. p. 22, schol. Ven. *A* Il. *B* 140.

6) ed. R. Wagner p. 173.

Cypriis recedere statuit Wagner. Atqui reticere nolo quaestiones de Apollodori bibliotheca nunc quidem non ita absolutas videri, ut argumentum certissimum elicerem.

Progrediamur ad Hesiodum, qui Eridem inseruit inter Noctis progeniem (Theog. v. 225) et matrem fecit multorum monstrorum. Idem (*Ἐ. κ. ἡ.* v. 11) de duabus deis inter se plane diversis verba facit:

τὴν μέν κεν ἐπαινέσσειε νοήσας,
ἡ δ' ἐπιμωμητή· διὰ δ' ἄνδιχα θυμὸν ἔχουσιν.
ἡ μὲν γὰρ πόλεμόν τε κακὸν καὶ δῆριν ὀφέλλει.
σχετλίη· οὔτις τήν γε φιλεῖ βροτός, ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης
ἀθανάτων βουλῆσιν Ἔριν τιμῶσι βαρεῖαν.

Sicut voci *ἔρις* duo insunt notiones et rixae et certaminis, ita inter bonam deam et malam discrimen fecit. Quod non tantum premendum esse puto, ut in superstitione Graecorum hanc sententiam niti statuamus. In vasis quidem deam mitem ab horrida non diversam fuisse suo iure contenderunt et Brunn[1]) et Wieseler.[2]) E verbis: *ὑπ' ἀνάγκης τιμῶσι* neutiquam efficitur, ut Eris publice culta sit.[3])

Bis Eridem usurpat poeta libelli, qui inscribitur *ἀσπὶς Ἡρακλέους;* in v. 148 dracone medio descripto sic pergit:

ἐπὶ δὲ βλοσυροῖο μετώπου
δεινὴ Ἔρις πεπότητο κορύσσουσα κλόνον ἀνδρῶν,
σχετλίη, ἥ ῥα νόον τε καὶ ἐκ φρένας αἴνυτο φωτῶν.

Quo optime confirmatur nostra de daemonibus in scuto fictis sententia supra prolata; hic enim Eridem „in fronte monstri versantem" non deae specie pressam esse certo certius est. Deinde in v. 155 sq. eosdem versus agnoscimus, de quibus supra dictum est, Σ 535 sq. paullulum mutatos (*ἐθύνεον* pro *ὁμίλεον*); quos sero insertos esse Odofredo Mueller[4]) concedendum est, qui rectissime neque Eridem bis commemoratam neque sententiarum conexum recto talo stare vidit.

In lyricorum poetarum fragmentis bis legi Eridis nomen: Alcmanem[5]) eam vocasse „*χθόνιον τέρας*" e Suida discimus. Et Ibycus[6]) ea utitur (*τάχα κέν τις ἀνήρ*):

Ἔριδος ποτὶ μάργον ἔχων στόμα
ἀντία δῆριν ἐμοὶ κορύσσοι.

---

1) Troische Miscellen, p. 56 (Sitzungsber. d. Akad. z. Münch., 1868).
2) l. l. exc. II.
3) Quod Wieseler verisimile putat.
4) l. l. p. 619.
5) Bergk: Lyr. frgm. III, p. 77, n. 151.
6) Bergk: III, p. 246, n. 26.

In tragicorum fabulis raro Eridem invenimus: apud Aeschylum haud scio an non recte deam subesse intelligatur, cum nuntium de Capaneo referentem facit (Sept. v. 411):

. . . . *οὐδὲ τὴν Διὸς*
ἔριν πέδοι σκήψασαν ἐκποδὼν σχεθεῖν[1])

vel v. 709 chorum pronuntiantem: *παιδολέτωρ δ' ἔρις ἅδ' ὀτρύνει.*
Sed aperte dea dicitur pulchris Antigonae verbis fabula exeunte v. 1035:

Ἔρις περαίνει μῦθον ὑστάτη θεῶν.
ἐγὼ δὲ θάψω τόνδε . . .

Labdacidarum scelerum auctor apparet in Euripidis Phoen. v. 798:

ἦ δεινά τις Ἔρις θεός, ἃ τάδε
μήσατο πήματα γᾶς βασιλεῦσιν . . .

et in Oreste v. 1001 Atridarum sceleribus enarratis pergitur:

ὅθεν Ἔρις τό τε πτερωτὸν
ἁλίου μετέβαλεν ἅρμα,
τὰν πρὸς ἑσπέραν κέλευθον
οὐρανοῦ προσαρμόσασα
μονόπωλον ἐς Ἀῶ, . . .

Videmus Eridis partes paulatim amplificatas, non modo ad bellum spectantes, sed ad omnia eximia scelera et discidia.

Ex Sophoclis fabula quadam, quae inscribitur *Ἔρις* frustula nonnulla servata sunt:[2])

1. *ἐγὼ δὲ πεινῶσ' αὖ πρὸς ἴτρια βλέπω.*
2. *εὔωρος γάμος* vel potius *γάμου.*
3. *μίαν μίαν.*

De argumento huius fabulae unus Welcker[3]) sententiam protulit, qui rixam inter Iovem et Neptunum dici suspicatur, sed nihil exhibet ad fulciendam coniecturam. Equidem neminem de temeritate me obiurgaturum spero, cum ad Eridem i. e. Pelei nuptias argumentum referam. Primo fragmento femina loquitur, *πεινῶσα,* epulantes adspiciens, quod optime ad Eridem quadrat. Deinde alterum fragmentum fortasse ad nuptias spectat, nec non *ἴτρια.*[4]) Porro nup-

[1]) *τὴν Διὸς ἔριν* non ad deam pertinere scholiasta iam recte cognovit; ex verbo *σκήψασαν* enim et versu sequente apparet verba referenda esse ad Iovis fulmen; Aeschylo dignum, qui alludat ad mortem Capanei.
[2]) Nauck: Trag. frgm.², p. 174.
[3]) Nachtr. z. aeschyl. Tril., p. 313.
[4]) v. Athen. XIV, 646, Aristoph. Ach. 1057.

tias argumentum non insolitum praebuisse e Sophoclis fabula satyrica: *Ἑλένης γάμος* videmus. Daemones autem saepe personas tragoediae fuisse exemplo sunt *Κῆρες* Aristiae, *Μοῖραι* Achaei. Itaque nihil repugnare coniecturae meae videtur, totum autem argumentum fabulae satyricae indolem prae se ferre nemo negabit. Si recte se habet quod enucleavi, concludere licet e verbo: *πεινῶσα* Eridem non invitatam esse, quod iam Cypriorum fuisse contenderim.

Ad Alexandrinorum aetatem pervenimus: Timon[1]) in carminibus ludibundis Homeri Eridem haud insulse confert in philosophorum rixas assiduas:

φοιτᾷ βροτολοιγὸς Ἔρις κενεὸν μεμαυῖα
Νείκης ἀνδροφόνοιο κασιγνήτη καὶ ἔριθος.
ἥ τ' ἀλαὴ περὶ πάντα κυλίνδεται, αὐτὰρ ἔπειτα
ἔς (τε) βροτοὺς στήριξε κάρη καὶ ἐς ἐλπίδα βάλλει.

Maximas partes Eris agit in Quinti Smyrnaei carminibus. Semel tantum, sed plene cumulateque speciem deae uberius describit X, 53:

. . . οὔτινι φαινομένη· περὶ γὰρ νέφος ἄμφεχεν ὤμους
αἱματόεν . . . .
ἡ δὲ μέγ' ἐξ ἀδάμαντος ἔχεν πεπαλαγμένα λύθρῳ
πάλλε δὲ λοίγιον ἔγχος ἐς ἠέρα . . . . .
. . . πυρὸς δ' ἄμπνυεν ἀυτμὴν . . .

Vides aperte Homeri Eridem et *Κῆρας* in unum confusas. In partibus describendis *τόποι* iterum cognoscuntur: pugnam excitat neutrum iuvans, X, 56:

φοίτα δὲ μέγαν κλονέουσα κυδοιμὸν
ἄλλοτε μὲν Τρώων ἐς ὁμήγυριν ἄλλοτ' Ἀχαιῶν.

IV, 195 Teucrum et Aiacem *Ἔρις ὀτρύνεσκε ἀκήρατος.*

VII, 165: . . . *ὀλοὴ δ' Ἔρις οὐκ ἀπέληγε ἀλλ' ἔτ' ἐποτρύνεσκε . . .*

Idem in VIII, 68 et XI, 8. In Memnonis et Achillis certamine II, 540 fabulam veterrimam de Psychostasia[2]) partibus mutatis cognoscimus:

Ἔρις δ' ἴθυνε τάλαντα
ὑσμίνης ἀλεγεινά, τὰ δ' οὐκ ἔτι ἶσα πέλοντο.

Clamore ingenti acies pererrans animos inflammat VIII, 325:

ἀλγινόεσσα δ' Ἔρις μέγα μαιμώωσα
ἤυσε μάλα μακρόν.

---

[1]) ed. Wachsmuth, p. 113, qui optime poetae consilium cognovit.
[2]) v. Crusius: Ker in Roscher. lex. p. 1143.

IX, 147: *οὐλομένη δ' ἐπαύτεεν ἀμφοτέροισι*
μακρὸν Ἔρις βόωσα.

et X, 53 sq. Caede cruenta gaudens fit II, 460: *Ἔρις δ' ἐπεγήθεεν ἀμφοῖν.*

VIII, 191 — *ἐπετέρπετο θυμῷ κείνους εἰσορόωσα* (Achillem Eurypylumque).

IX, 324 et XI, 161: *Ἔρις δ' ἰαίνετο θυμῷ ὀλλομένων.*

Penthesileae, quacum comparatur I, 180, securim donavisse dicitur I, 159, quod in Romanorum praecipue carminibus *τόπον* fuisse infra[1]) demonstrabitur.

Apud Tryphiodorum cum Enyo coniuncta Graecos ad urbem delendam impellit: v. 562:

σὺν δ' Ἔρις οὐρανόμηκες ἀναστήσασα κάρηνον
Ἀργείους ὀρόθυνεν.

Imago tritissima.

Postremo Nonnus speciem deae novis coloribus interpolare supersedit, sed partes aliquanto auxit. Cum Marte ad pugnam incitat XXXII, 177 et V, 41 *διδύμαις στρατιῇσιν Ἔρις ξύνωσεν ἐνυώ.*

XX, 35 Baccho somnianti Eris apparet:

πολέμοιο τιθήνη,
ἅρμασι μιμήλοισι ἐφεδρήσσουσα λεόντων
Ῥείας εἶδος ἔχουσα κ. τ. λ.

Bacchum hortatur et ad bellum inflammat. Cuius fictionis pigmenta adoptavit nimirum ex Homeri Il. *B* 16 sq. Lepide Eris *πολέμοιο τιθήνη* dicta est.

Praeterea illud daemonibus peculiare, quod neutrum adiuvant, misit, cum Eridem alicui parti favere dicit II, 358:

ἦν δὲ κυδοιμοῦ
πομπὸς Ἔρις Τυφῶνι, Διὸς δ' ἡγήσατο Νίκη

et XXXIX, 385:

καὶ στόλον ἰθύνουσα μαχήμονα Δηριαδῆος
ὑσμίνης Ἔρις ἦρχε· Διωνυσίοιο δὲ νηῶν
Νίκη.

In elocutione de Damaseno gigante: *τεκτομένῳ δέ οἱ ἦεν Ἔρις τρόφος* (XXV, 489) *τόπον* cognoscimus, de quo dictum est p. 20.

Postremus Colluthus in carmine suo fusius de Pelei nuptiis verba facit et Eridem non invitatam malum inter deos iecisse enarrat. Nil fecit, nisi fabulam illam notam verbose exornavit; fontes, si fuerunt, non novimus.

[1]) p. 43.

Discordia.

Inter Bellonam et Discordiam id maxime discrimen intercedit, quod haec mera fictio poetarum est, ad similitudinem Eridis facta. Nusquam, quantum scimus, publice culta est.

In Romanorum carmina eam induxit, quod quidem cognosci liceat, Ennius Graeco nomine verso,[1]) in versu notissimo ab Horatio sat. I, 4, 60 laudato:

postquam Discordia taetra
Belli ferratos postes portasque refregit.

Aperte hi versus spectant ad Iani templum, cuius portae bello exardescente aperiri solebant. Quae sententia confirmatur Vergilii imitatione Aen. VII, 607, ubi Iuno „belli ferratos postes rupit". Aptissime Discordiam in Belli templo sedem habentem finxit, cuius portas refringit ad bellum excitandum.

Apud Vergilium VI, 280 exstat in celeberrima Orci descriptione cum multis aliis monstris „Discordia demens vipereum crinem vittis innexa cruentis." Novae sunt in hac Vergilii pictura vittae et crines viperei, quorum in Graecorum poesi nusquam fit mentio. Persuasum habeo hoc ornamentum, sicut Bellonae, petiisse poetam a furiis.

In enumeratione Orci monstrorum Vergilium Graecum aliquem fontem adiisse disceptare conati sunt Flach[2]) et Engelhardt.[3]) Atque hic innixus est loco Ciceronis de nat. deor. III, 17, quo affert Carneadis contra Stoicos sententiam: „Quid enim? aiebant, si ii fratres sunt in numero deorum, num de patre eorum Saturno negari potest? Qui si est deus, patrem quoque eius Caelum esse deum confitendum est. Quod si ita est, Caeli quoque parentes dii habendi sunt: Aether et Dies eorumque fratres et sorores, qui a genealogis antiquis sic nominantur: Amor, Dolus, Metus, Labor, Invidentia, Fatum, Senectus, Mors .... quos omnes Erebo et Nocte natos ferunt."

Si hanc genealogiam Graecorum scilicet comparaverimus cum Hesiodi Theogonia v. 211—233 et Hygini (p. 9, 3 Schm.) similitudinem quandam exstare inveniemus, ita ut statuamus Ciceronis et Hygini genealogias nisi ex Hesiodo, certe tamen e Graeco fonte haustas esse. Inde Engelhardt concludit Vergilium ex tali genealogia in depingendis Orci monstris suam mutuatum esse. Vergilium

[1]) Nullum locum, ubi graecum nomen Eris servatum, inveni. Itaque Wieseleri coniectura, qua Petron. d. b. civ. v. 255 pro Erinys „Erisque" scribere iubet, vel hac de causa non recte se habet.

[2]) Herm. IX, p. 114.

[3]) de personificat. quae in poesi et arte Rom. inven., Gött. 1881.

autem Hesiodi locum l. omnino ad verbum fere reddidisse demonstraro conatus est Flach — infeliciter mea quidem sententia. Exempli gratia contulit „Νέμεσις“ figuram ad „Curas ultrices“, Ἄλγεα ad Morbos pallentes, Δυσνομίη ad Discordiam. At nequaquam hi daemones Hesiodei iidem putandi sunt, ac Vergiliani, velut Ἄλγεα sunt Dolores; Δυσνομίην autem quonam iure contenderit eandem esse ac Discordiam frustra quaeres. Hariolationes eiusdem silentio praeterire liceat: dicit enim Metum esse Φόβους, quod Vergilius pro Φόνους legerit, Theog. v. 228; Λήθην esse „Letum“ nemo credat.

Equidem persuasum habeo Vergilium etsi in tota fictione fortasse vulgi opiniones[1]) reddiderit, in enumeratione singulorum malorum nonnihil ex Graecorum genealogiis mutuatum esse suapte ingenii vi conversum.

In scuti Aeneae descriptione (VIII, 702) praeter Martem, Diras, Bellonam, Discordia reperitur: scissa gaudens palla. Poetam hic Homeri vestigia sequi iam supra adnotavimus. Scissam pallam ei tribuit poeta ut discidii notionem exprimeret amplexus vulgi opiniones de furiarum habitu propagatas, quas scissis crinibus, laceratis vestibus vel sanguine perfusis sibi finxerunt.

Manilius I, 921 pacem desiderans sic ait:

> adamanteis Discordia vincta catenis
> aeternos habeat frenos in carcere clausa.

Aperte sequitur opinionem, quae inde ab Ennio vulgaris exstitisse videtur, Discordiam in Belli templo inclusam fuisse, donec bellum exardesceret. Inprimis autem eum incitavit Vergilii Furoris descriptio Aen. I, 294.

In Senecae Herc. f. 93 Iuno pronuntiat sese revocaturam „discordem deam, in alta conditam caligine, ultra nocentum exilia, quam munit ingens montis opposito specus“.

Vergilium exornavit, nihil amplius.

Iam ingrediamur Discordiae descriptionem uberrimam, quae exstat in Petronii de bello civ. v. 271: tubae intremuere, et Discordia extulit ad superos Stygium caput per nubila tollens.[2])

1. scisso crine,[3])
2. in ore concreto sanguine,
3. contusa lumina flebant,
4. stabant aerati scabra rubigine dentes,[4])
5. tabo lingua fluente,

---

[1]) v. Ettig: Leipz. Stud. XIII, p. 250, adn. 2.
[2]) cf. Val. Fl. II, 205 Tisiphone „caput per nubila tollens“.
[3]) Ovid. Met. IV, 474 Tisiphone turbata capillos.
[4]) cf. Ov. met. VIII, 802.

6. obsessa draconibus ora,[1])
7. intertorto laceratam pectore vestem,[2])
8. sanguineam tremula quatiebat lampade[3]) dextra.

De face belli daemonibus tributa supra verba feci. Habes igitur descriptionem horridam e multis poetarum fictionibus, inprimis furiarum et Gorgonum compilatam. Consilium patet. Optime enim tali initio adversatur Lucano.

Valerius Flaccus Discordiae in pugna partes tribuit II, 204, ubi accurrunt ad Lemniarum caedem Pavor et e Geticis stabulis Discordia demens. Sedem finxit in Geticis stabulis. Daemonibus domicilium certum tribuere poetis proprium est, velut Ovidius Famae domum (met. XII, 39), Invidiae met. II, 760 describit et Famem, Pallorem, Tremorem in Scythia frigidissima habitare dicit. Getica stabula Discordiae finxit secutus veterum opinionem Martem in Thracia sedes obtinere.

In l. VI, 401 cum eodem Pavore a Pallade stimulata Discordia falcatos Ariasmeni axes in huius ipsius agmina vertit: „ensibus uncis implicat et trepidos currus lacerat".

In l. VII, 461 Medea Iasoni cassidem donat:

quam modo funerea tenuit Discordia dextra;

hic mihi *τόπος* fuisse videtur bellicosa instrumenta, omnino res funestas a daemone quodam originem ducere solere. Conferas velim Aeschyli Choeph. v. 635 de Orestis ense: *προχάλκευε δ' Αἶσα φασγανουργός*. Agam. 1548 *πέπλον Ἀγαμέμνονος* dicitur *ὑφαντὸν Ἐρινύων*, vel Herculis in Sophoclis Trach. 1051: *Ἐρινύων ὑφαντὸν ἀμφίβληστρον*. Soph. Ai. 1034 de ense letifero dicitur:

ἆρ' οὐκ Ἐρινὺς τοῦτ' ἐχάλκευεν ξίφος
κἀκεῖνον (i. e. *ζωστῆρα*) *Ἅιδης δημιουργὸς ἄγριος*.

In Silii Orci descriptione (XIII, 586) in qua nihil fecit, nisi quod Vergilium exornavit et variavit, Discordia quoque occurrit: gaudens permiscere fretum caelo . .; Vergilii epitheton „gaudens" suo modo amplificavit.

Apud Statium Th. II, 288 eundem *τόπον*, de quo modo dixi, legimus: monile enim Harmoniae fatale „tota pressit Discordia dextra."

In strage Lemniaca V, 74 non sopor in amplexu dicitur esse, sed Odia et Furor, medio autem in lecto Discordia recubat.

---

[1]) Stat. Th. I, 103 de Tisiphone: centum illi stantes umbrabant ora cerastae.

[2]) cf. Verg. l. l. scissa palla.

[3]) cf. Ov. de Tisiph. face exstructa met. IV, 480.

Geminum ferrum tenentem pinxit poeta deam Th. VII, 50 in Martis domo versantem. Duas hastas Discordiae dari solere demonstravit Wieseler allatis effigiebus Eridis.

Postremo in Claudiani carmine in Ruf. 30 inter Erebi monstra, quae Allecto convocat, dicitur Discordia „nutrix belli". Mirum in modum congruit cum hac elocutione locus Nonni XX, 35, qui Eridem vocat: *πολέμοιο τιθήνην*. Vix fortuitus consensus, sed quonam ex fonte, alexandrino nimirum, uterque hauserit, disceptari nequit.

En habes Discordiae apud poetas Romanos effigiem, quam stilo paulo remissiore delineatam videmus, quam Bellonae. Vix quidquam novi adiecerunt, nisi quod Erebi monstris eam asseruerint.

Deimos, Phobos.[1]

Martis filii ideo coniungendi mihi videbantur, quod alter *Δεῖμος* nusquam solus invenitur. In *Διομήδους ἀριστείᾳ* *Δ* 440 pugna incipiente cum Eride Martem secuntur *Δεῖμος τ' ἠδὲ Φόβος*.

In describendo Agamemnonis scuto *Λ* 36 haec proferuntur:

τῇ δ' ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο
δεινὸν δερκομένη, περὶ δὲ Δεῖμός τε Φόβος τε.

Quos versus exulare iubet Furtwängler iisdem de causis, quibus supra *E* v. 740 sq. Sed luce clarius est hoc quoque loco vires intelligi, quae in scuto quasi contineantur.

In *O* 119[2]) Mars ad pugnam profecturus: *ἵππους κέλετο Δεῖμόν τε Φόβον τε ζευγνύμεν κ. τ. λ.*

Solus Phobos invenitur *N* 299, ubi Idomeneus et Meriones cum Marte filioque conferuntur:

οἷος δὲ βροτολοιγὸς Ἄρης πολεμόνδε μέτεισιν,
τῷ δὲ Φόβος φίλος υἱὸς ἅμα κρατερὸς καὶ ἀτάρβης
ἕσπετο, ὅς τ' ἐφόβησε ταλάφρονά περ πολεμιστήν κ. τ. λ.

Ambo coniuncti famuli Martis sunt, filius disertis verbis Phobos

---

[1]) Welcker: Gr. Götterl., I, p. 714. Roscher-Stoll s. v. Deimos. Panofka: Deimos u. Phobos (Gerhard: Hyperb. röm. Studien).

[2]) W. Ribbeck, Philol. VIII, Jahrb. f. Ph., 85, p. 87, qui offendit in particula 110—143 recte refutatur ab Hentzio p. 98.

dicitur, quem maioris momenti fuisse vel e *N* 299 discimus, ubi de Deimo nihil.

Notio, quae fuerit utrique, ex usu patet: Deimos est hostes terrens, Phobos fugans.

Quorum alterum, Phobon, in deorum numero habitum esse divinisque honoribus usum nuper evincere studuit Albrechtus Dieterich in lepido libello, quem inscripsit „Abraxas" p. 86 sq. Quod collegit ex hisce locis: Plutarchi, qui de Alexandro Magno[1]) tradidit: ... *αὐτὸς πρὸ τῆς σκηνῆς μετὰ τοῦ μάντεως Ἀριστάνδρου διέτριβεν „ἱερουργίας τινὰς ἀπορρήτους ἱερουργούμενος καὶ τῷ Φόβῳ σφαγιαζόμενος"*, eiusdem de Theseo:[2]) *τέλος δὲ Θησεὺς κατά τι λόγιον τῷ Φόβῳ σφαγιασάμενος συνῆψεν αὐταῖς* (Amazonibus), de philosophis,[3]) qui Deimon et Phobon deos esse concedere noluerint, de Lacedaemoniis,[4]) qui publice Phobon coluerint. Deinde locum comici cuiusdam[5]) attulit, qui Phobon partes agentem fecerit; gravissimi autem momenti titulum esse quinti fere a. Chr. saeculi Selinunte[6]) exarato:

> *Δι]α τως θεως τωσδε νικωντι τοι Σελινων[τιοι*
> *δι]α τον Δια νικωμες και δια τον Φοβον [και*
> *δια Ηρακλεα και δι Απολλωνα κ. τ. λ.*

Quibus causis commotus Phobon iam ante Homerum deum maximum fuisse concludit, postea Marti comitem additum, tum demum eius effigiem scutis impressum, ipsum larvali habitu paulatim affectum esse, dum in cosmogoniis iterum exstiterit.

Equidem, etsi omnia haec testimonia recte se habere fateor, Dieterico adstipulari nequaquam possum; immo qui poetarum locos antiquissimos accuratius inspexerint nec non artis reliquias praetermiserint ad aliam sententiam adductum iri persuasum habeo. Puto enim olim nomine „*φόβος*" nihil expressum fuisse nisi genus quoddam gorgonei: conferas Il. *E* 739 et *Λ* 36, de aegide dictum est: *ἣν περὶ μὲν πάντῃ φόβος ἐστεφάνωται* de Agamemnonis scuto: *τῇ δ' ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο.* Utroque igitur loco de imagine terribili sermo est r o t u n d a forma scuto impressa. Praeterea Herculis scutum[7]) hunc in modum ornatum est:

---

[1]) Alex. M. c. 31.
[2]) Thes. cap. 27. Non video, quid *Φόβος* et *Βλέψος* fratres ad nostram rem faciant.
[3]) *Ἐρωτικ.* c. 18.
[4]) v. Cleom. c. 8 et 9.
[5]) v. p. 48.
[6]) v. Roehl: Inscr. ant. 515, qui *Φόβον* Martem esse putat. Sauppe: Gött. Nachr., 1871, p. 605 sq. Benndorf: Metopen v. Selin., p. 27.
[7]) *Ἀσπ. Ἡρ.* v. 144.

ἐν μέσσῳ δὲ δράκοντος ἔην φόβος οὔτι φατειός
ἔμπαλιν ὄσσοισιν πυρὶ λαμπομένοισι δεδορκώς·
τοῦ καὶ ὀδόντων μὲν πλῆτο στόμα λευκὰ θεόντων κ. τ. λ.

Ex elocutione: *δράκοντος φόβος* apparet de daemone cogitari non posse; etiam dentes horribiles demonstrant *φόβον* hoc loco fere idem esse ac gorgonem. Huc accedunt artis monumenta: in Cypseli arca commemoratur[1]) *Φόβος δὲ ἐπὶ τοῦ Ἀγαμέμνονος τῇ ἀσπίδι ἔπεστιν, ἔχων τὴν κεφαλὴν λέοντος. ἐπιγράμματα δὲ .... ἐπὶ τῇ ἀσπίδι· οὗτος μὲν Φόβος ἐστὶ βροτῶν, ὁ δ' ἔχων Ἀγαμ.* E genitivo addito iterum cognoscimus non daemonem dici, simul intelligentes, cuiusmodi fuerint *φόβοι* scutis impressi: erant leontis capita, quae inprimis *ἀποτρόπαια* fuisse notissimum est. Et talium scutorum haud parvus numerus inventus est, praecipue in Iovis antro Idae anno 1885;[2]) in vasis Meliis[3]) quoque, quae proxime ad Homeri aetatem accedunt, clipei picti sunt capite leontis ornati.

Ergo concludere licet eam scuti imaginem, qua hostes terrerentur et fugarentur — *ἐς φόβον ἀνδρῶν* *O* 310 de aegide — „*φόβον*“ dictum esse. Quae *ἀποτρόπαια* iam ante Homerum in usu fuisse docuerunt Helbig[4]) et Milchhoefer[5]) nixi Homeri locis, inprimis Od. *λ* 634, et artis reliquiis.[6]) Patriam autem eorum orientem fuisse e certis indiciis viri docti coniecerunt; gorgoneum per Cyprum fortasse in Graeciam translatum est,[7]) etsi non ita premam Agamemnonis thoracem *Λ* 20, paucis versibus ante gorgoneum descriptum, Cypri regis donum fuisse dici. Daemonem vero leonis capite praeditum ex Asia originem duxisse elucet ex toreumate quodam Cappadociae Homero fortasse antiquiore:[8]) et ex nummis Bithyniae,[9]) ut de incertioribus taceam.

Ergo, ut brevi praecidam, iam Homeri temporibus Graeci ex more asiatico scuta exornare solebant imagine terribili, quam „*φόβον*“ vocabant. Et hoc quidem cum Dieterici coniectura gravissime

---

1) Pausan. V, 19, 1.

2) Museo di antichità class. II, 3.

3) Six: de Gorgone p. 5. Conze: Mel. Thongef., tab. III. Recte Furtwängler l. l. p. 1706 leontis caput cognovit. v. Longpérier: Mus. Nap. III, pl. 59, 2, de Witte: descr. d. cab. Durand, p. 48, n. 142. Arch. Zeitg., 1847, p. 111. Museo Gregor. II, 50. Arch. Zeitg., 1881 (Löschcke), p. 42. Arch. Zeitg., 1877, p. 111 (Körte). Ohnefalsch-Richter l. l. p. 154, tab. 32. Milchhöfer, Arch. Zeitg., 1881, p. 286, Anfänge d. Kunst, p. 287 sq.

4) D. hom. Epos, p. 286.

5) Arch. Zeitg., 1881, p. 288.

6) „Das Fratzenhafte und Scheussliche war für eine rohe Kunst und Kultur das homogenste Ausdrucksmittel, um starke Effecte zu erzielen.“ Milchh.

7) v. Langbehn: Flügelgestalten d. ält. griech. Kunst, p. 125.

8) v. Perrot: exploration de la Galatie, pl. 48 M.

9) Six: de Gorgone, p. 79, Furtwängler, p. 1702.

pugnat. Nam si Phobon deum haud exiguum iam ante Homeri aetatem fuisse putaremus, statuendum esset Graecos Homeri aetate scuta dei imagine ornavisse id est deos effigie finxisse. Quod prorsus negandum est. Immo, sicut ex gorgoneo in Graecia demum Gorgo ficta est, ex monstro asiatico Sphinx, eodem modo mea quidam sententia ex scuti imagine usitata hostes terrendi causa affixa daemon terroris fictus est, cui idem nimirum nomen tribuebant, quod imagini. Itaque *Φόβος* nihil est nisi *προσωποποιία* terroris ex scuto adversus hostes quasi emanantis. Quem Marti comitem additum esse non mirum, Deimon autem adiecerunt, ut numen exprimerent, quo *φόβος* excitetur.

Phobon paulatim in superstitionem ita irrepsisse, ut publice coleretur, inprimis ab imperatoribus ad pugnam profecturis, ex Plutarchi locis supra commemoratis colligitur. Quod autem Selinuntii Iovem et Phobon ut summos deos praedicant, haud scio an non de Phobo belli daemone agatur, sed de Marte nomine Phobi Selinunte culto. Nam in titulo post victoriam exarato Martem certe desideramus.

Haec praemittenda erant, nunc ad poetas revertamur. Ab Hesiodo theog. v. 934 Deimos et Phobos inter Martis Venerisque progeniem nominantur:

οἵ τ' ἀνδρῶν πυκινὰς κλονέουσι φάλαγγας
ἐν πολέμῳ κρυόεντι σὺν Ἄρηι πτολιπόρθῳ·

Cuius fictionis ansam dedit Homerus, cum Phobon Martis filium diceret.

In carmine de scuto Heraclis v. 195 inter effigies iuxta Martem Deimos et Phobos fiunt stantes:

ἱέμενοι πόλεμον καταδύμεναι ἀνδρῶν.

Et v. 463 Marti ab Hercule vulnerato

Φόβος καὶ Δεῖμος εὔτροχον ἅρμα καὶ ἵππους
ἤλασαν· αἶψ' ἐγγύς, καὶ ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης
ἐς δίφρον θῆκαν πολυδαίδαλον κ. τ. λ.

Sane Homeri est, quod Martis aurigae vel famuli putantur. Quorum alterum tantum, Phobon videlicet, vasorum pictores elegerunt, cum Martem in proelium vehentem pingerent.[1])

De Aeschyli loco in Sept. v. 47 iam p. 15 verba feci: septem illi duces per Martem, Enyo, Phobon iurant se urbem deleturos aut morituros esse. Non sine consilio poeta Enyo et Phobon Marti ut

---

[1]) Furtwängler: Katal. d. Berl. Vasensamml., n. 1732: Martis et Heraclis certamen, auriga Martis Phobos est. Pinxit Kolchos.

summos belli deos adiecit, immo confirmatur sententia et de Enyus et de Phobi vi supra prolata.

Comici cuiusdam fragmentum[1]) servavit Sextus Empiricus: *εἰ δὲ ὁ Ἔλεος θεός, ἐστὶ καὶ ὁ Φόβος ἀμορφότατος γὰρ τὴν ὄψιν· εἰμὶ γὰρ Φόβος πάντων ἐλάχιστον τοῦ καλοῦ μετέχων θεός.* Sine dubio cum Meinekio „*γὰρ*“ delendum, verba *ἀμορφότατος τὴν ὄψιν,* quippe quae ad vocem *Φόβος* non quadrent, cum versu laudato coniungenda. Optime idem versus e prologo derivatos esse opinatur, cum saepe comicos Romanos et Graecos tales *προσωποποιίας* prologum dicentes induxisse sciamus, velut Menandrum *Ἔλεγχον,* Philemon *Ἀέρα* e. q. s.

Tum longa hiat lacuna; Quintus demum, raro scilicet, Deimon et Phobon in pugna tumultuantes rursus induxit: XI, 13 Mars cum Enyo, Eride, Phobo inter pugnantes versantur:

ἐφέσπετο δέ σφισι Δεῖμος
φοινήεντι λύθρῳ πεπαλαγμένος ὄφρα ἑ φῶτες
οἱ μὲν καρτύνωνται ὁρώμενοι, οἱ δὲ φέβωνται.

Primus Deimon uberiore descriptione dignatus est, sed notissima iam pigmenta. Eridem comitantur X, 57:

τὴν δὲ Φόβος καὶ Δεῖμος ἀμφεπένοντο
πατροκασιγνήτην κρατερόφρονα κυδαίνοντες.

Neque in scuto Achillis V, 29 eorum obliviscitur.

Nonnus more suo sine ratione ambos usurpat. Eridem XX, 38 Baccho somnianti apparentem Phobos comitatur, specie Attidos, Rheae nuntii praeditus:

καὶ θρόον ὀξὺν ἔχων ἁπαλόχροος ἄρσενι μορφῇ
ἡνίοχον Κυβέλης ἀπεμάξατο θήλεϊ φωνῇ·

Aurigae Martis finguntur XXIX, 364 partibus accurate descriptis.

Alterius a partibus stant XXVII, 337, ubi Bacchi hostes adiuvant, et XXXII, 178 Deriadem: *Φόβος καὶ Δεῖμος ὁμέμποροι.*

XXXIX, 217 Erechtheo Boream implorante:

εὔστολος ἦεν Ἄρης τότε ναυτίλος, ἐν παλάμῃ δὲ
πηδάλιον Φόβος εἶχε, κυβερνήτης δὲ κυδοιμοῦ
Δεῖμος ἀκοντοφόρων ἀνελύσατο πείσματα νηῶν.

Iovem adiuvant II, 415 sq.

---

[1]) Com. frgm. Kock III, p. 439. Meineke IV, p. 688.

Pavor, Metus, Terror, Timor, Formido.[1]

Exstant testimonia vetera apud Livium,[2] Tertullianum,[3] Augustinum[4] Tullum Hostilium sacra aedificasse Pallori et Pavori. Hoc saltem pro certo haberi potest haec duo numina multo ante poesin e populi superstitione originem duxisse. Equidem valde errare, qui Pallorem et Pavorem esse Graecorum *Δεῖμον* et *Φόβον*, e coloniis Magnae Graeciae Romam translatos putent, his de causis persuasum habeo: nusquam Pallor cum Pavore coniunctus est, nisi in Tulli Hostilii memoria. Omnino Pallori non sunt belli partes: in Orco sedes ei tribuit Silius XIII, 582, inter Famis comites numeratur ab Ovidio met. VIII, 781, Alarici exercitum fame oppressum comitatur Claud. XXVIII, 322, idem eum inter Veneris ministros enumerat. Ergo in superstitione Romanorum niti Pallorem Pavoremque puto.[5] Quae fortasse cohaeret cum cultu Fauni vel Silvani, quorum voces in pugna saepe hostium animos timore affecisse[6] dicuntur; velut in pugna cum Etruscis facta alteri Fauni alteri Silvani voces audiisse sibi videbantur.[7] Sed mirum in modum haec vetus superstitio apud poetas plane evanuit; nullo enim loco deorum specie instructi sunt nec dei appellantur; nil aliud sunt, nisi merae *προσωποποιίαι*. Porro, postquam Graecorum poetas aestimare coeperunt, *Δεῖμον* et *Φόβον* reddiderunt poetae plane arbitrio suo et sine certa quadam ratione aut Formidinis aut Metus aut Timoris, Terroris, Pavoris figuris.

Comparemus poetarum fictiones. Vergilius in Orci descriptione VI, 267 inter monstrorum seriem numerat Metum. Eundem dedit Tisiphonae comitem Georg. III, 552.

In Aen. l. IX, 719 Mars Teucris Fugam mittit atrumque Timorem.[8]

Quartum et quintum addidit Ovidius, Pavorem dico et Terrorem, quos cum Luctu et Insania comites dedit Tisiphonae (met. IV, 484). Timorem inseruit Famae cohorti (met. XII, 48).

---

1) v. Preller-Jordan: II, p. 248.

2) I, 27.

3) adv. Marc. I, 18.

4) de civ. d. IV, 23.

5) Nummos Pallore et Pavore ornatos v. Eckhel: Doctr. n. V, p. 226. Millin Gal. myth. XLV, 158. v. Maurenbrecher: d. carmen Saliare p. 1 sq.

6) Cic. de div. I, 45, 101.

7) Liv. II, 7. Dion. Hal. V, 16, Val. Max. I, 8, 5.

8) Cui conferam Iliadis libri I initium: — *αὐτὰρ Ἀχαιοὺς θεσπεσίη ἔχε φύζα, φόβου κρυόεντος ἑταίρη*. Hic tantum congruit cum eo, de quo agitur (Mars misit — *θεσπεσίη*, Fuga — *φύζα*, Timor ater — *φόβος κρυόεις*), ut Vergilio eum suppeditasse contendam.

Seneca in Oed. 594 Metum commemorat in Orco positum, quem in Herc. f. 693 composuit cum Pavore furvo.

Valerius Flaccus Pavori tantum in bello partes tribuit in l. II, v. 204; qui ad Lemniarum caedem accurrit cum Discordia, Dolo, Rabie. Etiam in l. VI, 398 medio in proelio, cum Discordia occupat equos, efficit ut equi inviti atque inscii suis cladem inferant.

Silius l. VI, 556 Pavorem Famam iuvantem fingit: — excussit habenas luctificus Pavor.

In l. IV, 325 Hannibal Martis instar in proelium egreditur, secum gerens Metum, Terrorem, Furorem.

Apud Statium iis partibus fungitur Pavor, quibus Δεῖμος et Φόβος in Homeri *O* 119, Th. III, 425:

Pavor frena ministrat equis Armiger.

Ex imitatione Vergilii in X, 558 Pavor et Fuga dicuntur urbem scindere dissensu.

Copiosiorem reddit Pavoris figuram Th. VII, 108, ubi Mars eum (ut unum dira de plebe comitum) praemittit: Innumerae voces, manus, facies ei sunt; bonus auctor omnia credi, omnes falso timore complet, terribilem ululatum spargit e. q. s. Non alter anhelos insinuare metus aptior. Tota fictio Statiana, compluria e Famae descriptionibus hausta. „Metus“ cum Ira, Furore, Virtute, Ardore in Bacchi Thebas defensuri turba memoratur.

Claudianus (in Ruf. I, 343) Martem celeres ministros adhortantem facit: „nexus rotarum tende Pavor, frenet rapidos Formido iugales“, ita ut Deimos et Phobos Pavor et Formido sint.

Alio loco (XXII, 373) aliter rem variavit in describendo Martis triumpho: Bellona currum praecedit; „lictor Metus cum fratre Pavore“, ferratis catenis colla barbara innectunt, galeas lauro velati, propius iugales Formido succincta ingentem vibrat securim. Egregia fictio et poeta dignissima. Auxit daemonum tela, cum tribuit Formidini lictoris instar securim, inprimis Amazonum gestamen.

In I, 87 Metus horribilis et Impetus famuli Romae ficti sunt, cuius currum iungunt:

semper agentes
proelia cum fremitu Romam comitantur anhelo.

Hunc in modum[1]) effigiebus pressi sunt Romae famuli Honos, Virtus, Victoria.

Claudianum ante omnes sine certa quadam ratione pinxisse intelleges.

---

[1]) v. Purgold: Archaeol. Bemerk. zu Claudian u. Apoll. Sid. p. 30 sq.

Ossa, Pheme.[1]

Famae numina a Romanis demum vividis coloribus tincta iam in Homeri carminibus adumbrata sunt. Il. *B* 93:

μετὰ δέ σφισιν Ὄσσα δεδήειν
ὀτρύνουσ' ἰέναι, Διὸς ἄγγελος.

Aptissime rumor sine certo auctore exortus, a Iove quasi originem ducere divinoque honore ut Iovis nuntius frui dicitur. Minerva Od. I, 282 Telemachum dimittit: ἢ ὄσσαν ἀκούσῃς ἐκ Διός: Phemen autem saepius usurpatam esse ex Aeschine[2]) comperimus, qui ex Iliade (sc. parva) laudat:

Φήμη δ' ἐς στρατὸν ἦλθε.

Idem Euripidem veram deam agnoscere testatur:

Φήμη τὸν ἐσθλὸν κἂν μυχοῖς δείκνυσι γῆς.

Etiam Sophocles eam celebrat: Oed. Tyr. 157:

εἰπέ μοι, ὦ χρυσέας τέκνον
Ἐλπίδος, ἄμβροτε Φάμα.

Athenis aram deae fuisse Pausanias docet I, 17, 1.

Fama.

Famae numen apud Graecos minoris momenti, a Romanis demum excultum est ita ut, si verum Plutarchus[3]) tradidit, templum habuerit a Camillo conditum.

---

1) Welcker: Griech. Götterl., p. 715.
2) I, 128, II, 144, 145.
3) de fort. Rom. 5, vita Camilli c. 5.

Induxit Famam in poesin Romanam quantum sciri potest Vergilius isque ita, ut eius fictionem omnes fere posteriores secuti sint. In Aen. l. IV, v. 173 haec summa est descriptionis:

I. Origo: Terra ira deorum incitata eam genuit, sororem Gigantum.

II. Species:

a) mobilitate viget viresque adquirit eundo. Parva metu primo mox sese attollit in auras ingrediturque solo, caput inter nubila condit,[1])

b) pernices alae,

c) quot plumae, tot vigiles oculi, linguae, ora, aures.

III. Partes:

a) nocte volat stridens,

b) luce sedet custos in tectis,

c) tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri. gaudens et pariter facta atque infecta canebat.

Totam enarrationem, etsi prorsus spirat Vergilii indolem, ex aliorum tamen fictionibus ex parte compositam esse per se verisimile est. Ac Corssen[2]) quidem haud inepte affert Apollod. I, 6, 3, ubi Typhon similem in modum describitur: *Γῆ μᾶλλον χολωθεῖσα . . . γεννᾷ Τυφῶνα . . . μεμιγμένην ἔχοντα φύσιν ἀνδρὸς καὶ θηρίου . . . ἡ δὲ κεφαλὴ πολλάκις τῶν ἄστρων ἔψαυε . . . ἑκατὸν κεφαλαὶ δρακόντων . . πᾶν τὸ σῶμα κατεπτέρωτο.* Sed Vergilium hoc ex Apollodoro sumpsisse, quod Roscher (s. v. Fama) haesitans probare videtur, minime persuadere mihi possum. Nam — ut taceam de quaestionibus, quando et a quo scripti sint Apollodori commentarii — si perquisiveris locos poetarum ad gigantes pertinentes, invenies illam opinionem Terram „iratam progenuisse gigantas“ iam exstare apud Apollonium Rhod. Arg. II, 40.[3]) Cetera autem Typhonis propria iam leguntur apud Hesiodum Theog. 823 sq.; similis descriptio exstat apud Antoninum Liberalem c. 28,[4]) qui e Nicandro se hausisse confitetur. Apollodorum quidem reddere carmen aliquod Alexandrinorum aevi suspicatur Ilberg l. l. Equidem persuasum habeo Vergilii de Fama cogitantis animo descriptionem quandam Typhonis — utrum Nicandri an alius vix diiudicetur — obversatam

---

[1]) Eridem Homeri ei obversatam nemo non videt.
[2]) Rh. Mus. 41, p. 245.
[3]) v. Roscher-Ilberg s. v. Giganten.
[4]) v. Schneider: Nicandrea p, 65.

esse, quam in suum usum convertit. Cuius sententiae gravissimum exstat argumentum illud a Corsseno allatum: Famam hic Coeo Enceladoque sororem adscitam esse; eidem verito ne minus apte hoc finxerit poeta, adstipulari non possum: aptissime eo, ut puto, Vergilius Famam monstrum fuisse demonstravit, quod illi familiae eam insereret.

In omnibus fere locis Vergilianis, ubi Famae mentio fit, legis eam volare per urbes variis modis exornatam.

IV, 666 concussam bacchatur per urbem, VII, 104 circum late volitans Fama per urbes tulerat....

Idem IX, 473, XI, 139.

Quotienscumque aliquid eximii accidit, poeta Famam fingit volantem et rumores spargentem. Consilium patet. Multo enim maiorem habet vim descriptio terroris maximi, quem dea incitavit, quam si homines rumores propagantes fecisset.

Pro indole sua amplificavit Vergilium Ovidius, qui in met. XII, 39 quasi arcem Famae pinxit, unde omnia spectantur, omnia audiuntur. Sunt innumeri aditus, foramina tectis; nocte dieque patet... tota ex aere sonanti, tota fremit vocesque refert iteratque quod audit .. nullus clamor, sed murmur tantum. In atrio leve volgus versatur, mille Rumores, Credulitas, Error temerarius, Laetitia vana, Timores consternati, Seditio repens, Susurri e. q. s.

Inventio Vergilii, exornatio tota Ovidii; ille viam et vim monstri quasi procellae describit, hic sedem, unde oritur et alitur. Conferas Somni arcis descriptionem met. XI, 637 sq.

Lucanus ex more suo Famae προσωποποιίαν fastidiebat, nec tamen negandum eius animo suppeditasse aliorum fictiones: I, 469 ad veros timores accessit Fama, irrupit populi animos, velox properantis belli nuntia „innumeras solvit falsa in praeconia linguas“. Contra in Eumolpi bello civ. (Petr. 123) aperte munere fungitur:

> volucris motis conterrita pennis
> Fama volat summique petit iuga celsa Palati.

Habes meram imitationem Vergilii.

Ad Ovidii magis quam Vergilii exemplum habitum deae descripsit Valerius Flaccus II, 116—125: Venus Famam incitat, ut falsos inter Lemnias rumores spargat.

a) Sedes: in umbra; Iupiter eam placidis aetheris regionibus arcet: habitat sub nubibus imis non Erebi, non diva poli,

b) Partes: audentem primi spernuntque foventque.

Mox omnes agit, motis linguis oppida quatit, digna atque indigna canit.

Hoc loco a Iunone iussa defertur in urbem figura Lemniae

cuiusdam accepta et Eurynomen irritat, tum alias domus furiis implet, totam per urbem personat.

Etsi in plurimis Vergilii Ovidiique sectatorem cognosces tamen e suo ingenio haud infeliciter quaedam addidit, velut deae sedes. In postremis versibus partes Allectus Vergilianae agnoscere licet.

Silius quoque, qui multo magis nimirum ad Vergilii exemplum se adplicat, deae speciem nonnihil auxit (VI, 554): Alas rapidas, cruoribus perfusas, Trasymeni unda tinctas addidit, quod plane Silii indolem spirat, quippe qui in horridis rebus inveniendis ad exornandum colorem haud facile a quoquam superetur.

Celeritatem deae pinxit IV, 1 sq.:

gressu gliscit volucrique citatior Euri,

vel X, 578: iam sidera adibat.

Vera ac ficta simul spargentem per urbem poeta finxit, Vergilium ad verbum fere reddens.

Creberrime Famam usurpat Statius. In silv. VI, 103 Fama dicitur, vehens Germanici laurus, volucri cursu, praegressa diem, tardum Mercurium et Irim linquens. Hoc modo summam celeritatem bene depinxit.

Th. II, 205 de nuptiis Polynicis Tydeique rumores spargit: socias it per urbes „dea turbida insilit Thebas, haec totis perfundit moenia pinnis; territat Eteoclem“. Gravissimum igitur Famae munus fuisse timores iniciendi satis perspicuum est.

Eodem modo Th. IV, 369 turbatrix Fama accumulat crebros pavores, Eteocli metum inicit.

VI, 2 nuntia Fama, multivago gradu urbes perlabitur.

IX, 38 Fama vaga rapido murmure in turmas spargitur, aptissime vocata: index pernicior solito, cum lugenda refert.

Primus Statius eam cum Marte arctius coniungit in Th. III, 426, cuius ante currum volat „vigil omni sono, vanos rerum succincta tumultus. Trepidas plumas denso cum murmure excutit. Premitur stimulis cruentis a Pavore auriga, ut facta et infecta loquatur.“

Raro Claudianus Famam inducit: XVII, 270, ubi accepto Theodori consulatu „pennis excitat silvas Aonias ita, ut Musae ad Theodosium celebrandum veniant“.

XXVI, 201 Fama nigrantes alas pavoribus succincta secum cuncta trahens terruit Oceanum et tremefecit Thulen.

Polemos.

Graecos, utpote qui singula pugnae genera numinis cuiusdam esse rati sint, bellum ipsum divina specie exornasse cui mirum videatur? Primus eum exhibuit Pindarus:[1] *Κλῦθ' Ἀλαλά, Πολέμου θύγατερ.* Quantas partes ei tribuerit, ex hoc frustulo cognosci nequit. Aristophanes quod in comoedia *Εἰρήνη* Polemon induxit, nil fere facit ad nostram rem; etenim pro indole comici hanc *προσωποποιίαν* non eodem modulo emetiri licet, quo epicorum poetarum, immo eam simili fere modo fictam puto, atque Demi figuram in Acharnensium fabula: nam Demi persona sicut ad Atheniensium tantum populum referenda est, ita Polemos non peculiare belli numen est, sed nihil nisi belli Peloponnesiaci *προσωποποιία.* Itaque requiescat in Pace. Frater Enyus invenitur apud Quintum VIII, 426.

Bellum, Furor.

Furorem daemonis specie indutum primus induxit Vergilius ad belli significandam insaniam. In superstitione frustra quaeres vestigia hunc pro deo esse habitum. In libro I, v. 294 plane idem significat quod Bellum; in Belli enim templo inclusus fingitur:

> Furor impius intus
> saeva sedens super arma et centum vinctus aenis
> post tergum nodis fremet horridus ore cruento.

Fortasse in hac fictione Vergilii oculis obversabatur imago illa egregia Apellis in qua restrictis ad tergum manibus *Πόλεμος* effictus erat, collocata in foro.[2])

Inter Erebi monstra Furorem Seneca numerat in Oed. 590, Bellum in Herc. f. 695.

In Petronii bell. civ. l. l.

---

[1]) frgm. 122 *B.*

[2]) v. Plin. hist. nat. 35, 93, Serv. ad Aen. I, 294. Wissowa in Rosch. lex. s. v. Bellum.